

H 5303

Res.

FRANCISCI
VALESII
GALLORVM
REGIS

Fata.



Vbi rem omnem celebriorem à Gallis gestam
nosces, ab anno Christi M. D. XIII.
usque ad annum ineuntem
M. D. XXXIX.

STEPHANO DOLETO GALLO
AVRELIO AVTORE.

AD AMVSSIM DOLO,



SCABERA, EMPOLITA



ATQVE PERPOLIO.



LVGDVNI ANNO
M. D. XXXIX.

Cum Priuilegio ad decennium.

40 1

FRANCISCO
VALESIO GALLIÆ REGI

STEPH. DOLETVS

SAL.



VIT ILLVD

meum semper in
stitutum, Rex re
gum re omni præ
stantissime, fuit is
item meorum mihi
studiorum iam in
de usque ab adole
scentia propositus
omnino fructus, ut,

quam eloquentiæ facultatem tum ingenij felicita
te, tum assiduo, diuturnoque labore aliquando
consequerem, eam omnem in Gallia illustranda
consumerem, perficeremque mea tandem industria,
ut, quantis uirtutibus excellas, nationes omnes co
gnoscerent: neque in posterum reticeretur, tanta
diligentia, tanta prudentia à te administratam Gal
liam, tanta animi altitudine toties ab hostium im
petu defensam. Ergo istud ipsum est, in quo studio
rum meorum cursum terminare statui. Sed quor
sum hæc? Vt medijsfidius protinus consilium no
strum probes, illudque iuues: uel statim improbes,
silereque nos iubeas. At uerò tu rerum tuarum gesta

A ii rum

rum magnitudini sic omnino infestus eris, ut, quin eas scriptis illustremus, fastidiosè recules: Longè id, scio, remotum est à naturæ tuæ præstantia: quæ prout uirtuti semper dedita fuit, debito uirtuti testimonio carere minimè quidem debet. Neque hercle tam rerum rudis est quisquam, ut generosissimo cuiq; semina optandæ immortalitatis insita nesciat. Quòd si, ut omnium generosissimus, eiusce rei desiderio teneris, non facile reperies, præter literarum monumenta, tuis uotis quod abunde possit respondere. Consentur ad tuam formam signa, sculpantur statuæ, Apellis manu pingaris: delebit hæc omnia nō ita post uetustas. Literarum autem monimenta æterna sunt. Quorum eum fructum esse constat, ut non illos, qui uirtutem sunt amplexi, post extinctum corpus gloria perpetua apud posteros solùm ornent, sed posteros quoque ipsos nobili Maiorum exemplo ad studium uirtutis incendunt, propulsentq; ab ijs uelut

ignauiam. Itaq; & tibi ornamento,

& alijs usui erit, quicquid de

te posteritati relinque,

tur. Vale. Lug,

duni ad Idus

Sextileis.

Anno

à

CHRISTO ab Inferis redeunte

M. D. XXXIX.

*Nihil, præter li-
terarum monimen-
ta, nominis im-
mortalitatem con-
fert.*

AD EVNDEM.

5

FRancisce non uno quidem, sed omnibus
Rex digne regnis, qui fit, ut
Oblivione liuida Gallorum honos
Impune carpatur latens:
Et nocte longa huc usque pressus, lumentine:
Caruerit? An quod defuit
Gallis sua olim laus, uel ampli nominis
Celebritas? an quod mari,
Terraq; non res gesserint perennibus
Chartis reponendas? Nihil
Tale obstat, ut ne addamur astris, & Polo.
Nam siue laude uirium,
Seu Marte prospero uetusta secula.
Certent, feremus protinus
Primas: nec ullâ gloriæ amplitudine
Cedemus externis locis.
Sed quando Scriptorum elegantium manu,
Vatumq; caruimus sonis,
Taciturnitas nostris meritis diu obstitit:
Idem superbæ Romuli
Factura proli, ni, quod egisset, modò
Chartæ fideles proderent.

Quare minus ce-
lebris est Gallo-
rum uirtus, & glo-
ria.

A ùù Idem.

Idem Duci factura iam iam Punico,
Et bellicoso Cæsari,
Ac forti Achilli, ni, quod egisset, modò
Chartæ fideles proderent.
Solæ uetant Musæ mori, & solæ celebrant
Dignos sacra fama uiros:
Nec interest, an tu uigil sis, an iners:
An ditior Cræso, an inopi
Egentior Iro: an Rex potens, an Agricola:
Vt utiue uitam transigas,
Ni lingua doctorum tenebris te eximat,
Et posterorum annalibus
Mandet, tibi quos spiritus Virtus dedit:
Quos fregeris, quos uiceris.
Quare faue Musis, easq; amantibus,
Vt nomen æternent tuum:
Gallisq; quod deest ad immensum decus,
Scripto expleant, & litteris.

STEPHANVS DOLE,
tus Petro Castellano Episcopo
Salutem .



INO BONO SVS
penſa non opus eſſe he
dera , veteri prouerbio
vulgatum eſt. Libro bo
no , & Operi excellen
ti ambitioſiorem cuiuſ
quam commédationem
minus eſſe neceſſariam
omnes quidem arbitran
tur. Ego vt veteri de vi
no prouerbio non reſtra
ger, neque communem
de Opere excellenti o

pinionem infirmem, id tamen aſſeuerare non dubitabo,
vinum bonum ſi comprimas, ſuæ bonitatis laude, com
mendationeſq; priuari. Quæ iniuria Libri etiam præſtan
tiæ accidet, ſi nunquam eum emanare permittas. Vinum
uerò proclametur: Liber in lucem exeat. Vnde vtriuſque
præſtantix certum colligetur teſtimonium? A delicati gu
ſtus homine, vino, Libro, ab vno aliquo iudicij magni,
& eruditionis non vulgaris vel Oratore, uel Poëta, vel Hi
ſtoriographo, vel Philoſopho. Tibi autem, quoniam eiuf
modi es, vt & certum, & exactum de Opere noſtro iudi
cium ferre poſſis, iſtud ipſum (ſecundum Regem: Regi
enim rem ipſam inſcriptam puta: tibi artem, & Operis ſtru
cturam) dedicatum volumus, vt, quid Operis ſit, Re
gem ipſum erudias: ſicq; certè erudias, vt, quale, quan
tumq; tibi videbitur, pro ea opinione illi & probandum,
& laudandum ſuſcipias. Reges enim vt bene ſint erga lite

A iiii ratos

ratos animati, attamen non aliter Literatorum munera (id est, Opera, & Libros) accipiunt, ac illi, quibus de literis habetur fides, tum censent, tum suadent. Quod si sua fulmina Demosthenes: suam diuinam Odiseam, vel Iliadem Homerus: sua immortalia Scripta Cicero: sua tam mirabilibus ingenij luminibus illita vbique Opera Vergilius Regi cuiquam offerat, repudiabuntur illi prorsus omnes, nisi, qui Regis auribus seruiunt, inuidientia vacui ad ea vel leuissimo nutu excipienda Regem ipsum incitent. Quid, si mala mente, & malo animo pleni inuidiosè obloquantur? Duram, & miseram Literatorum conditionem. Nihil ve-

Quid Literatos rō minus; nam non sperata à Regibus approbatio, aut am-
maximè moueat, pla aliqua merces (quæ nulla ferè, aut minima esse solet) Li-
ut animum ad scri teratos ad tot promenda sui ingenij monumenta sollicitat:
bèdum applicent. sed quæ in illis est nunquam cessans diuinitas, & laudis im-
 mortalis expectatio, nil non conari, & studiose persequi
 cogit. Veruntamen ab ijs etiam probari gratum est, quibus
 tuas lucubrationes inscribas. Quare, si res feret, vt non
 alieno tempore Opus hoc nostrum Regi offerre possis,
 magnus ad tua innumerabilia erga me officia
 cumulus accedet, si apud eum labores no-
 stros & doctè, & amicè commenda-
 ris. Vale. Lugduni, ad Idus
 Sextil. Anno ab Olympo
 Mortalibus aperto
 M. D. XXXIX.



9

Francisci Valesii Gal-

LORVM REGIS

FATA.



Vbi rem omnem celebriorem à Gallis gestam
nosces, ab anno Christi M. D. XIII.
usque ad annum ineuntem
M. D. XXXIX.

STEPHANO DOLETO GALLO

AVRELIO AVTORE.

LIBER PRIMVS.



FATA CANO Res
gis Galli, fata aspera fata:
Sed quæ inuicto animo tandem
cessere domantis
Omnia consilio, uirtute, & mente
uirili.

Non res parua agitur: Musæ, contendite mecum
Numine dignum opus Aonio præstare canentes.

Est Fatum diuina propago Iouis, bona quæque,
Vel mala concilians, pro sollicitante Deorum
Imperio. Humani hæc subeunt, tolerantq; coacti
Ordine perpetuo rerum: quo nomine rectè
Fata uoces. Fatum est rerum immutabilis ordo:

Fatum quid sit.

B Cui

*Cui licet accedat Virtus, tamen usque priores
Fert Fatum parteis in re quacunque gerenda.*

Romanorum Imperium ut crevit.

*Fato Romani post tot discrimina, post tot
Prælia, debellatum Orbem rexere monarchæ:*

*Roma caputque fuit Mundi, prius exiguus grex
Quam pastorum habitabat, & errans exul ab aruis
Finitimis (ut asylum) post scelus omne colebat.*

Vt deinde corrui.

*Mox Fato inclinante, suis spoliata triumphis
Corruit, & patrio (infandum) iugulata tyranno
Nil, nisi nomen, habet Romæ, desertaque sordet.*

Græcorum potentia.

*Fato etiam Græci nil non potuere uel armis,
Vel studiis: terra omni posthabita, auxit Athenas*

Eorundem ruina.

*Mars, Pallasque simul. Quid tū? nūc nullus Athenis
Est locus, illustrem olim qui uel denotet urbem,
Reliquias uel ullas habeat tam nobilis ora.*

Troianorum status florens:
Et idem profligatus postea.

*Troia fuit Fato ingens: & fato occidit, orba
Hectore, qui toties solus tremefecit Achillem:
Quo pereunte, una ceciderunt Pergama, fraude
Hostis iam longo oppugnantis tempore Teucros.*

Fatorum uis.

*Vis ea fatorum est: augent, spoliant uel repente,
Quos libet. Ex Iro Cræsus conflabitur: ingens
Ex urbe efficient regnum. Post, ocius Euro,
Qui modo Cræsus erat, fiet tenuissimus Irus:
Urbe minora etiam fient ingentia regna.*

Tanta

P R I M V S.

11

Tanta potest Fatum nullo exorabile questu.

In te quid potuit, Rex præstantissime Regum,

Id cantare paro. Sacra quæ in rupe sedetis,

Pandite nunc Heliconæ, Deæ, nunc pandite mōtem.

Hic opus, hic labor est uestro conamine dignus:

Non alienum à uobis illustrabit: ille est,

Ille unus, qui amat ex animo, obseruatq; Poëtas.

Haud semel, atque iterum uos implorare pigebit:

Pandite nunc Heliconæ, Deæ, nunc pandite totum:

Hic opus, hic labor est uestro conamine dignus.

In te quid potuit, Rex præstantissime, Fatum?

De Iouis imperio Gallis præfecit, honorem

Non tibi maiorem mandans, dum sorte suprema

Auget, quàm æterno Galli cumulantur honore,

Te Rege obueniente illis: qui lapsus Olympo

Vndique tot fulges donis Virtutis, ut Orbi,

Non oræ nostræ, lectus uideare regendo.

Gallia iam medium ostendat regionibus unguem

Externis, te tali felix Principe, tali

Principe te multos iam condecorata per annos,

Rectaq; tam iusto Domino, tam legibus æquis.

Galle, quid inquiras, in quo sit causa querelæ

Iusta, uel errati species, uel certa libido,

Qua tuus hic Heros foedè irretitus habenas.

Fato quo usus est
Rex Valefius.

Inuocatio Musarum
iterata propter rei magnitudinem.

Fatum quid in Regem
potuit.

Gallia quantum
illustrata hoc Rege.

Summum ius.

B ii Non

Non satis exactè Regni direxerit, aut nunc
Dirigat? Omnis abest causa, argumentaq; questus:
Omnis adest ueræ, iustæq; occasio laudis.

Gallia quàm bene
recta hoc Rege.

Hoc Rege est Gallis semper concordia præsens
Ciuilis: Rege hoc regnat Virtutis amica
Iustitia, omne scelus silet, & uiolentia nulli
Infertur: ius cuique suum seruatur, ut est par:
Libertas datur, & procul est inuisa tyrannis.

Denique nõ Regem, sed patrè, hunc nomine uero
Rectius appellent Galli: quo Gallia pace,
Militia ue bonis circumfluit undique diues,
Nullum hostem metuens, nullam uim Martis atrocis,
Nulla pericla tuo regno, feliceq; ductu.

Literarum semen
in Gallia.

Ergo tulit Fatum, ut Princeps æquissimus esses,
Et Virtutis amans, uitiorum asperrimus osor:
Sed dedit hoc maius (nam debita munia Regis
Sunt ea, quæ dixi supra) quo tempore Gallos
Tractes, ipso illo literarum ut semen abundans
Gallia suscipiat, studiûsq; antestet Achiuos.

Immortalitas no=
minis à literis
proficiscitur.

Maius habe id Regno: Regno florente carebis
Mortuus: at literarum ope, Castalidumq; Dearum
Immortalis eris cultu: seriq; Nepotes
Scriptis te uariis celebrem quæ carmine docto,
Quæ prosa excipient, & dignabuntur ouantes.

Tum

Tum statuis, tum aris late splendentibus auro.

Incipite, o Vates (quibus hic in cuncta fauorem
Præstitit, & præstat Musarum uerus alumnus,
Ac fautor constans) mecum hunc celebrare poësi

Iam nunc incipite, ut uiuens præconia tanto
Digna uiro sumat, carpat sibi debita laudum
Præmia. Gratus ager tandem suscepta refundit,
Agricolæq; sui uotis respondet, opima

Vi fructus: superate agros, persoluite Regi,
Gallia cui debet, quotquot nunc artibus audax
Decertare potest quauis cum gente Pelasga,
Vel Latia, primis studiorum sedibus olim.

Artibus ille quidem uos informauit inertes,
Expoliitq; , uelut scabrum cos læuigat ensem.
Nunc agendum, quod debetis, persoluite cantu:

Vnde Aurora micat surgenti præuia Soli,
Ac ubi Sol labens defessos pondere currus
Mergit Equos, illuc peruadat carmine uestro
Huius Regis honos, nomenq; , & gloria uasta,
Gloria non Terræ angusto capienda meatu,
Margine nec Maris: at tractu omnipatētis Olympi.

Vos, quibus est minor in uersu faciūdia (quanquā
Nil, nisi perfectum, tam præstans postulat Heros)
Vt uos ornarunt uena leuiore Sorores

Exhortatio ad Li-
teratos, ut Regis
laudum immor-
talitati satisfaciant.

Ad Poëtis minoris eloquentiæ.

Piëriæ, exiguis Elegis cantate minora:
Scilicet, ut nulli Rex Gallus corpore pulchro,
Ore etiam grato nulli concedit, & omneis
Eloquio superat, rerum plenissimus unus
Cognitione, ferat quicquid uel Terra, uel Aër,
Vel mare: quicquid habet Afri, extremiq; Britani.

Addite, quam felix prole est: subiungite, quanta
Veclus Equis rapidis uenando pericula uicit:
Castra quot ædificat: uel quantas condidit urbes.

*Ad Poëtas maio-
 ris facundie.*

Vos, quibus afflatu maiore in carmina Phœbus
Vires accendit, grauiora audete, repulso
Imbelli uersu. Ille ego, qui sordescere laudes
Gallorum nolim, nec Galli Regis honorem,
Aggredior, quæ extra Regnū Rex Gallus obiuit.

Quod si estis grati, iuuat & celebrare labores
Regis tam illustris, non me satis esse putate
Solum tantæ oneris moli: hic incumbite, Vates,
Pro se quisque: seges patet hic uberrima uersus.

Anno

1513.
Hæc gesta sunt
extremo Regis Lu-
douici duodecimi
anno.

Anglorum bellum
in Morinos.

Dira minax Fatum insano cum Marte struebat
In Gallos. Multis instructis classibus æquor
Occiduum parte ex omni, seu litora spectes
Neustrica, Burdigalæ ue oram, uelauerat Anglus
In nos irrumpens: Morinis lachrymabile bellum
Infert. Hispanus simili Rex percitus œstro,

Extremos

*Extremos Bigerronum contendit in agros,
Et sibi (ui maior) non paucas uendicat urbes.*

*Ecce autē Heluetii (gens bello dedita) Regnū
Inuadunt subito, poscentes maxima quædam
Pondera nummorum: datur insultantibus obses,
Quo fisci in patriam redeunt: ubi penditur illis
Aurum depactum. Posthac, sic sorte iubente,
Insubriam ferro repetens, cum milite multo
Aërias Alpes superas, Rex maxime, pube
Vix prima nascente tibi: mox Alpibus altis
Traiectis terras Italos: Prosperq; Columna
Confestim capitur, quamuis bene cinctus equestri
Vndique subsidio. Victo illo castra mouentur
Heluetiæ gentis, quæ in te conflata sedebat
Montibus expectans imis, quò Gallica tendant
Vexilla, atque tuas interceptura cohortes,
Dum uiam in Italiam affectant. At territa Gallo
Robore, statim abscedit. Tu icere fœdera tandem
Non renuis, magno præstando pondere nummi.*

*Sic gentem Heluetiam sedans, animosus in hostes
Progredieris: sed pacto haud stans gens perfida primū
Consilium mutat, dictisq; hostilibus hæret:
Audet & effreni occæcata libidine Reges
Velle domare armis: pacti reuerentia nulla*

*Nauarræ pars ab
Hispanis occupa-
ta.*

*Heluetiorum co-
piæ influentes in
Burgundiam.*

*Eadem repressæ à
Trimollio, dato
obside.*

Anno

1515.
*Insubriam inuadit
Rex Franciscus
Valesius.*

*Prosper Columna
à Gallis captus.*

*Heluetij à radici-
bus Alpium ca-
stra mouent.*

*Ictum fœdus cum
Heluetijs.*

*Heluetiorum pcr-
fidia.*

*Heluetiorum ar-
rogantia.*

Reprimit à scelere. At docuit miser exitus, æquum
Spernere quàm graue sit, uel cõcors rumpere fœdus.

Dij asperrimi ul-
tores ruptorũ fœ-
derum, & uiola-
te fidei.

Discite iustitiam infidi, & non temnere Diuos.

Ecce suprema dies, aliis exempla sub æuum

Venturum missura, Deum ut non lædere frustra

Fas sit, & indignos bellorum accendere motus.

Heluetiorum, &
Gallorum præliũ
ad agrum D. Bri-
gidæ.

Heluetiis igitur certa est sententia, rupto

Fœdere, te infestare armis, & frangere Marte.

Tu quid agis nullo Rex consternabilis astu?

Comparatio.

Vt Leo magnanimus grege circumseptus agresti

Inde Boum, inde Canum, inde Vrsis'ue, Lupis'ue

superbo

Prima supercilio tantùm conamina terret

Audacis turbæ: sed clàm post terga dolosis

Morsibus offensus, uictrici fulminat atrox

Robore, & urgentes cœtus ualidè undiq; sternit.

Sic primùm Heluetios unà couisse ferebas,

Armisq; exultare: tibi sed demere laudem

Dum cupiunt, pugnamq; parant, tum accenderis ira,

Et Marti natam gentem superare duello

Ardes Martis amans. Nun concertantibus illic

Graduum spectare iuuet miscerier armis?

Descriptio tem-
poris, quo cœpta
est pugna.

Iam Sol per medium Cœli traiecerat axem,

Oceanumq; amplum spectans uergebat in umbras

Humentes

*Humentes umbras noctis, cum deuius ardor
 Heluetios rapit in Gallorum castra: propinquant
 Vi magna, furiis magnis: consurgit utrinq;
 Impetus armatorum hominum: quæ classica stridunt,
 Quæ arma micant: iungunt se feruida cornua:ferro,
 Sanguine, morte locus uacuis tum nullus: in hostem
 Hostis agit, quantam uel uis, uel spiritus altus
 Perpetrare potest cladem, interitumq; cruentum.
 Non furor absimilis Tauros è monte ruentes
 Ingenti Sylæ, summo'ue è colle Taburni
 Post Vaccam uenere ardentem conuertit in iras:
 Frontibus incurrunt, multa ui uulnera miscent,
 Cornuaq; obnixi infigunt, & sanguine largo
 Colla, armosq; lauant: nec se funesta remittit
 Pugna prius, quàm, uictò uno, horrificante boatu
 Completur Cœlum, uoxq; ingeminata remugit
 Latè per campos, montesq; refusa pererrat.*

Cœpta est autem
 hora quarta post
 meridiem.
 Pugnæ initium.

Comparatio.

*Stant Galli, ardentescq; animis certamina nulla,
 Vulnera nulla timent: uelut imperterritus acri
 Dente Canum subsistit Aper, nec spicula uitat.*

Comparatio.

*Instat in obstantē Heluetius: non cedere uictus
 Victori statuit: cæco magis infremit igne,
 Instaurat pugnam: nunc huc, nunc inuolat illuc,
 Vndiq; pertentans Gallos, quæ irrumpere possit*

Heluetiorum
 ardor in pugna.

C Acrius

*Acriùs : impauidi decertant undique Galli,
Undique stragē edunt, hostesq; necando repulsant:
Non nox multa uetat truculento incumbere Marti:
Donec Luna micans tandem se condit in undas
Aequoreas, tegiturq; omnis caligine tellus.*

*Pugnae interrup-
tio propter no-
ctem.*

*Laxatur sensim pugna, abstrahiturq; uiro uir.
Tum, tanquam elabens acri sua præda Molosso,
Quæritur hinc, illincq; hostis: sed denique castra
In sua utrique pedem referunt, cogentibus umbris.*

*Noctu nulla quies: &, quod conspersa furenti
Flammæ gutta facit, facit interruptio pugnae:*

*Aut quod in ulcus agunt ungues, non tabe repressa.
Nil nisi, quam subitum exitiumq; , necesq; futuræ
Castris iactantur totis: iam prælia mista.*

*Læsos accendunt stillantia membra cruore,
Atque animos stimulant. Integri in uulnera feruent
Incutienda, uel accipienda animosiùs: omnis
In stragem seruatur consolatio grata:*

Tantum expectatur pulsura Aurora tenebras.

*Ducis militaris
officium, & dili-
gentia debita:*

*Interea Rex Gallus obit, lustratq; suorum
Castra, & se accingentes in fera prælia (luce
Exoriente) monet, dictisq; irritat ad arma*

*Regis Galli ora-
tio ad suos.*

*Iam per se satis audentes. Hos talibus ergo
Alloquitur. Sic Galla manus, sic Galla triumphat
Victrix,*

*V*ictrix, ac nulli hosti armis succumbere nouit.
 Est nobis, fracto Heluetio, uictoria certa,
 O' Socii: non tantus honos, non gloria præsens
 Nobis eripiatur: amor si nominis ullus
*V*os tangit, certam que mihi conamine uestro,
 Atq; fide palmã (quam nox tantum atra moratur)
 Constitui, se quisque audax attollat in hostem:
 Præbeat inuictum se quisque uiriliter armis.
 Scilicet in genus indomitum Gallum Heluetius uim
 Fecerit impune, & Regem cum gente domabit?

*T*alibus huc, illucq; uolans hortatur alacris
 In pugnam Gallos, infertq; ardentibus ignem.
 Arma parat miles, quibus Heluetiũ exanimet mox.
 Non tum alius Gallis ardor, quam Tigribus Indis,
 Ablato partu. In raptore absumere uitam
 Belua gestit atrox: nec enim nisi plena furore
 Fertur, & abreptos quærit pede strenua foetus:
 Dentesq; unguesq; exacuit rabiosa uagando:
 Sed naçta ablatos catulos, tum sæuit acerba,
 Et sobolis furem nullo sat conterit ictu.
 Tantis in Heluetios Gallum (post lumina Solis
 Sparsa recurrentis) mouet exitiabilis æstus.

Comparatio.

*P*arte Duces alia Heluetii uoluuntur in orbem
 Castrorum: fera corda suis non segnius augent,

Heluetiorum
 oratio ad suos.

C ii Sicq;

Sicq̄s addunt iram : Gallis cedemus inulti
 Nos, quibus armorum solis data gloria semper ?
 Nos, quibus inuictus Cæsar uix obstitit olim ?
 Desinet in nobis tam præstans nomen Auorum ?
 Laus prisca in nobis nunc conculcata peribit ?

Non nostræ accisæ uires : pro ludia tantum
 Pugnae sustinuerunt Galli : prælia uera
 Cum luce expectent : modo nobis patria uirtus
 Suppeditet forteis animos, uacuosq̄s pauoris .
 Non nos exuperant hostes uel gente, uel usu
 Armorum: nec mente etiam, uel robore uincant.
 Numina nulla premunt : mortali urgemur ab hoste
 Mortales: totidem nobis animæq̄s, manusq̄s .
 Dicamur Regem ferro strauisse potentes:
 Is cumulus prisco nostro adiiciatur honori:
 Sic metuent alii Heluetiis obsistere pugna.

Vocibus his frendent in Gallica castra cohortes
 Aduersæ, pulchrum ducunt occumbere in armis,
 Aut Gallo cæso uictricia signa referre
 In patriam. Sic raptus uterque exercitus æstro
 Pugnandi uigilat, noctemq̄s minacibus ausis
 Conterit, atque auidè clarescere feruet Olympum .

Postera uix Cælo motis Pallantias astris
 Fulserat: accendit cantu caua buccina Martem

Continuô:

Continuo' : ebullit rabies hinc inde micandi:

Ac cuncti, ut uacuo patuerunt æquore campi,

Procurſu rapido coniectis eminus haſtis

Inuadunt pugnam clypeis, atque ære ſonoro.

Dat gemitum tellus : tum crebros acriter ictus

Congeminant : fors, & uirtus miſcentur in unum.

Heluetii irrumpunt: ruit acere animata uiciſſim

Galla manus: tormenta crepant (noua bellica cladis

Materies: imitata Iouis penetrabile fulmen

Materies, tonitruuq; fragore repente ſonorum

Horrifico) tonat, & fumat circumfluus aer:

Conſequitur clamor ſtantium, planctusq; cadentium.

Hic ſubitam caeco glomerari puluere nubem

Cernere erat late, radiosq; nigreſcere Phœbi,

Vt uix hoſtem hoſtis noſcat caligine tanta.

Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt,

Centenasq; manus, quinquaginta oribus ignem,

Pectoribusq; arſiſſe, Iouis cum fulmina contra

Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes :

Rex ſic Heluetio deſæuit in agmine uictor.

Tunc multos telum, multos transuerberat enſis :

Multos celſus Eques perimit uel quadrupedantum

Calcibus, aut morſu : longa uel diſicit haſta,

Aut tundit ferri maſſa breuiore : necando

Pugnae redinte=
gratio.

Tormenta bellica
noua : id eſt, an-
tiquis illis belli du-
cibus inuſitata.
Bombardas, & id
genus alia uulguſ
uocat.

Comparatio.

Sic, licet Heluetii bene conferto ordine pressent,
Fit uia ui, rumpunt aditus Galla agmina tandem.

Comparatio.

Impastus stabula alta Lupus ceu sæpe peragrans
(Cogit enim uesana fames) si forte Bidentum
Persequitur turbã, aut surgentẽ in cornua Caprum,
Instat hians immanẽ, caputq; inclinat, & hæret
Visceribus super accumbens: lauit improba teter
Ora cruor: circumfusus magẽ sæuit aceruis
Exanimatarum pecudum: reliquasq; fatigat,
Se saturans nimia strage: irrigat undique sanguis.

Pugnæ calor.

Haud secus in densos Gallus se corripit hostes:
Sternitur Heluetius passim, quò pressius urget.
Non tamen exitio primo fera pugna senescit:
Certatur magis, atque magis: uictoria neutri
Spondet adhuc palmam: pugnae pugnando nouatur
Ardor, & incerto nutu Mauortis eunt res.
Nunc Galli superasse putant: nunc Heluetiorum
Attollunt se animi, ac Gallos succumbere fidunt.

Comparatio.

Qua spe protrahitur longum certamen utrinque:
Vocibus instigantq; Duces, si tardiùs ullum
Certare inspiciant. Discordes Aethere uenti
Prælia ceu tollunt animis, & uiribus æquis,
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu, stant obnixi omnia contra.

Non

Non aliter Gallorum acies, ac Heluetiorum
 Concertant densæ. Tandem Mars partibus hærens
 Gallis, Heluetios linquit: sic fracta retro se
 Turba refert, & pulsa loco, tremefactaq; grandi
 Strage suorum horret: fugiunt, qui uincere, stulte
 Sperarant: non cuncta tamen simulachra calentis
 Deponunt pugnae: tegitur fuga foeda receptus
 Impauidi exemplo: cedunt, ceu cedere nolint.
 Qualis sæpe uiæ deprænsus in aggere Serpens,
 Aerea quem obliquum rota trāsīit: aut grauis ictu
 Seminecem liquit saxo, lacerumq; uiator:
 Nequicquam longos pugnans dat corpore tortus,
 Parte ferox, ardensq; oculis: & sibila colla
 Arduus attollens: pars uulnera clauda retentat
 Nexantem nodis, seq; in sua membra plicantem:
 Sensim utcunque tamen latebris allabitur imis
 Effugiens hostem, saxo qui feruidus instat.

Tali se Heluetii casu seruando, dederunt
 Denique terga omnes: fugientes funere multos
 Gallus Eques sternit longum, nec cedere cessat
 Antè, citatus Equus cursu quàm insistit anhelans,
 Et spuma albet, uixq; animam pulmonibus haurit.

Insubres tanta percussæ clade, uerentur
 Gallos: nec iam uictori parère recusant:

C iiii Oppida

Galli uictores in
 Heluetios.

Heluetiorū fuga.

Comparatio.

Insubria in Re-
 gis potestatem
 redigitur.

Oppida panduntur, Gallo sub nomine leges
Accipiunt, sunt grata Italo tunc lilia Galla.

Dux Maximilianus captus à Gallis: & in Galliam ductus.

Dux prius Insubrium Maximilianus in arcem,
Cuius spe obstiterat, Regem intromittit, eo acto
Fœdere, quo liceat Gallas hunc ducere in oras:

Rex cum Leone Pontifice Romano Bononiæ colloquitur.

Id quod post factū est. Tum Rex ad amica Leonis
Pontificis Romani colloquia aduolat: urbes
Insubriæ multas à quo sine lite recepit.

Borbonius Insubriæ regendæ præfectus.

Concordes abeunt. Insubres deinde regendos
Borbonio tradit repetens Rex patria regna.

Rex in Galliam redit post casus Heluetios.

Galla triumphatam Insubriam gratatur, ouatq;
Gens Regi bene fida suo: applausu omnia feruent.

Maximilianus Imperator bellum in Insubria ducit.

Paulim constiterant Gallis (post prælia) uicti
Insubres: noua bella mouet Maximilianus
Induperator, agris tentans expellere Gallos

À Borbonio eijcitur.

Italiæ: obstat Borbonius, cogitq; repulsum
Hispanum leuibus pugnis desistere cœpto:
Quamuis Rex Anglus magnam uim suggerat auri,
Ipse etiam exitium Gallis tum immane daturus.

Exclamatio de Borbonio.

Borbonio o' utinam mansisset tempus in omne
Tanta fides, & tantus amor Patriæq;, sui'que
Sanguinis: haud tantis Galli nunc cladibus hausti
AEquarent Martem, nec sic se efferret Iberus
Nos mage fortunâ superans, quàm gente, uel arte,

Vel

*V*el (neruis belli) nummis, uel pectore celfo.

*H*ispanus postquam diffidit pellere posse
*I*talia Gallos, alio conuertitur: & quos
 Penè suo medio cursu rapida alluit unda
*M*osa fluens *V*ogeso longo de monte, laceffit
*A*rmis: Baiardus, quo non præstantior alter
*C*onsilio que, animoq; Hispanum Marte coërcet,
*E*t fugat *A*mbuaritos, *A*ttrebatesq; studentes
*P*artibus Hispanis. Gallus iam exercitus agros
*A*trebatum partim ferro uastarat, & igne.

*A*bscedunt pauidi *C*atuacis finibus hostes:
 Quos ubi *R*ex præsens prorsum exturbauit, in oras
*E*xtremas *T*arbellorum sua robora fleclit,
*E*t quatit *H*ispanos bello: oppida plurima forti
*O*bsidione capit: quæ paruo tempore posthac
*P*roditus amisit scelerata mente suorum.

*D*efunctus tantis fatis meliora putares
*A*ffore: fama affertur, defecisse rebellem
*I*nsubriam. Quæ tanta tibi, quæ tanta nouarum
*R*erum mentem adimit, pectusq; fidele libido,
*G*ens *I*tala, ut nulli *D*omino consuescere possis
*C*onstans? ut nullo *D*omino bene recta quiescas?
*I*am miserere tui, tantis iam exercita bellis,
*I*ncipe Gallorum, Hispanorum iam incipe mores

D Noscere.

Anno

1521.

Bella in Vertom
 dunorum, Catuac
 corum, & Attre
 batū agris gesta.

Baiardus.

Eodē anno.

Bellum in finibus
 Tarbellorum à
 Rege gestum.

Anno

1522.

Lauthrecus ex
 Insubria expul
 sus.

Italorum incon
 stantia in retinen
 dis Dominis.

Gallis dominata
 Italia ditefcit.

Noscere Gallorum imperio re semper abundas :

Hispanis præ-
da est .

Hispanis dominata cares uitâ que , bonisq;
Omnibus , ac Hispano tantum es præda rapaci .

Insubres igitur nimia leuitate rebellant ,

Et coniuratis animis à Principe Gallo

Desciscunt . Scelus hoc ulcisci er ardet , & armat

Anno

Iamque suos Rex Gallus in Itala tecta : uenitur

1523

Lugdunum . Surgit damnosa repente procella

Borbonij con-

Borbonii (crudele nefas) qui asperrimus ante

iuratio .

Tutor erat Patriæ , Patriæ sese indicat hostem ,

Ac init Hispano foedus cum Rege nefandum .

Borbonij causa

disceptatio .

Esto : non satis , ut meruit , cumulatus honore

Esset Borbonius : sibi quædam ablata doleret :

Nun tamen hæc potuit patrio concedere amor ?

Nun Patriæ hæc potuit condonare omnia fortis ?

Iulius Cæsar .

Non nego magnas laudes magni Cæsaris esse ,

Qui tot ubique dedit documenta uiriliter , & alti

Pectoris , & tantas gentes qui subdidit armis

Romano Imperio , & qui Romam subdidit ipsam

Ipsæ sibi : non diffiteor decus illius ingens .

Non nego Borbonium multa uirtute celebrem ,

Non nego dignum armorum , dignum laude perenni .

Borbonij causa

iniqua .

At nemo , qui æquo studeat , dubitabit utrumque

Dicere non æquum , Patriam qui excindere ferro

Sit

Sit conatus atrox : nec dignum nomine iusti ,
 Humanæ uel uiri . Priuata iniuria charæ
 Est Patriæ condonanda ultro . Sed tamen affer ,
 Borbonio facta est quæ tanta iniuria , tantum
 Ut facinus tentaret ? Amor malè iustus honoris ,
 Et mala mens tanto sceleri addixere , prius quem
 Seruantem Patriæ Fortuna erexerat : & quem
 Vastantem Patriæ Fortuna abstraxit in imum .
 Fidite nunc ausis uestris , nunc fidite coeptis
 Turpibus , immanes Patriæ inuiolabilis hostes .

Fugerat , Hispanos adiens post fœdera iuncta
 Borbonius : Galli exhorrent ad tam impia tristes ,
 Persequerq; ardent nece proditiōnis amantem .

Ut si degenerans pietate Ciconia pinsit
 Alterutrum autorem lucis , uitæq; parentem .
 Cætera se fidam soboles tunc præbet , acuta
 Insequiturq; ingratum pullum cuspide rostri ,
 Vulnera adacta parenti ulciscens nobilis ales .
 Sic Galli Gallum Regem defendere feruent ,
 Stantq; fide inconcussi : sed sua proditor audax
 Consilia exequitur . Carlo coniunctus Ibero
 Induperatori , studet ostentare peritum

Se Martis : bellumq; mouens magno agmine contra
 Gallam aciem (cui Gonferius dux præfuit) obstat ,

D ii Et tanz

Borbonij di
 scessus ex Gallia.

Comparatio .

Eodē anno.

Gonferius Am
 miraldus Gallie
 ex Insubria ex
 pulsus .

Baiardi mors.

*Et tandem Gallis Insubres liberat armis:
Hic ubi Baiardus letali extinguitur ictu,
Vir fato meliori dignus, nec nece dignus
Præpropera. O' utinam Baiardos Gallia multos.*

Anno

1524.

Massilia situs,
descriptio.

*Borbonius posthac Graiam conuertit in urbem
Massiliam uires. Locus est, quem partibus æquor
Alluit in uariis. Ligurum qua uergit in oram,
Vndisona rupe obtegitur: se findit aperto
Post portu: inde mare excurrit, lateq; uagatur.
Altera pars urbis crebram consurgit in arcem
Par tumulo, mediisq; sedent conuallibus ædes.*

Massiliam Bor-
bonius oppugnat.

*Mœnibus ex aduerso urbs circuncincta rotundis
In Gallos agros tendit: qua parte, tonantes
Borbonius moles ponitq; quatitq; frequenti
Muros tormento. Sed Cerrus Rencius omnem
Curam adhibet noctuq; diuq;, ut ab hoste fidelis
Urbs ui nulla expugnetur: uiolentia durat*

Borbonius in
Italiam se recipit,
Massilia frustra
obfessa.

*Borbonii effrenata: tamen cum nouit inaneis
Esse suos ausus, Italorum in rura remigrat,
Expertus, quid tanta iuuat tentare scelestè,
Et Patriam uiolare armis, belloq; nefando.*

Borbonii Rex
persequitur in
Italiam.

*Rex ut ab infesto defendat Gallica tecla
Hoste, dolens turmas Equitum, Peditumq; phalanges
Comparat actutum magnas, quibus importunos*

Ausus

*Ausus Borbonii, periuriaq; Itala iusto
 Ferro ulciscatur. Sic Alpes ipse iugosas
 Transit auens pugnandi. Insubres undiq; cedunt:
 Donec Ticinum occurrit (quod patria lingua
 Appellat Papiam) sic dictum à flumine uasto
 Ticino, cui uicinum est. Vrbs maxima surgit
 Planis exposita aruis, & uallata recocto
 Muro. Quà Insubres spectat, tormenta locantur
 Sulphurea à Gallis: noctesq; dies que refracta
 Moenia parte ruunt: Gallii irrupere calentes
 Vincendi studio: gaudet cum uulnere primus
 Urbem intrare omnis: sed Laeva Antonius obstat
 Milite Germano, Hispanoq; Italoq; paratus
 Eximie: fit pugna ferox: hic Gallica praesens
 Virtus. Scale haerent muris, conscenditur intro:
 Aut super effractos muros confligit uterque
 Cominus: è muris scandenteis pila repellunt,
 Praecipitantq; ex alto: alii letalibus acti
 Vulneribus clamant: oleum, pix feruida, sulphur,
 Calx fumans, plumbum, carbo inflammatus in imos
 Spargitur, & moles lapidum trudentur ab alto.*

*Insurgunt Galli grauius: redit ardor in urbem
 Irrumpendi: obstant grauius, quos moenia claudunt.
 Ceu postquam Tauri longo certamine saeuos*

D iii Sustinuere

Ticinum.

Ticini oppu-
gnatio.

Oppugnationis
descriptio.

Comparatio.

Sustinuere Leonum insultus, densaq; turba
 Inter se unanimi conatu cornibus audax.
 Subsistit, lassus pugnam Leo linquit inanem:
 Sic, ubi se sensit Gallus consumere uires
 Nequicquam insultu, cunctando uincere sperat,
 Obsidioneq; longa uim exhaurire superbam
 Hostium: & illo consilio, sua maxima castra
 Metatur uariè circum urbem: conterit illic
 Tempus totum hiemis gelidæ: dilabitur æger
 Miles multus, acerbo absumptus frigore partim,
 Et languens partim pluuii nimis aëris usu.

Anno
 1525.
 Ticini obsidio
 longa.

Gallici exerci-
 tus pars missa
 Neapolim.

Dux Albanæ.

Non uerò satis esse putat Rex uincere cinctum
 Ticinum obsidione: alieno (uah fera pestis)
 Deceptus suasu, dominari cogitat altæ
 Parthenopes regno: tum sic sua robora multum
 Debilitat. Ducis Albani prouincia magna
 Illa fuit: Ducis eximii, armorumq; sagacis.

Borbonij deli-
 beratio de elicien-
 do in prelium
 Rege.

Postquam Borbonius Gallorum robora nouit
 Attenuari, aliquotq; accepit gente cohortes
 Germana, se magno animo imperterritus effert,
 Prospiciensq; sui coetus non murmura posse
 Sustentare diu, quem urgens penuria rerum
 Sollicitabat ab armis iam discedere longè,
 Aggredier statuit cum Hispanis Gallica ualla.

Prælium

Prælium atrox struitur : nullam sperare salutem ;
 Borbonio est sperata salus : ea tetra uoluntas :
 Qua ductus sic corda suorum uoce disertâ
 Accendit , tentatq̃ , ut sint erga se animati .

O Socii , nisi uestra mihi discrimine nota
 Omni esset uirtus' que , fidesq̃ , in prælia tanto
 Non ruerem studio : sed qui potuistis ab oris
 Italiae Gallos toties expellere pugna ,
 Nunc mihi , nunc etiam ualidi præstare potestis
 Victricem palmam . Non uos præsentia Regis
 Terreat : id signum est , post tot sua robora fracta
 A uobis , illum , quicquid fert Galla facultas ,
 Collegisse semel . Quòd si uictoria nobis
 Nunc dabitur , Gallas prorsus confidite uires
 Accisas . Vobis etiam nunc crescere debent
 Hoc omnino animi , quòd penè exercitus omnis
 Gallus Parthenopem est missus : sic debilis illo
 Rex numero est : Fortuna uocat uos prospera , Regẽ
 Posse capi spondet : quò dirigit illa , sequamur .
 Quid uos tardat ? abest si fortè solutio præsens
 Emeriti , confestim aderit tam diuite Rege
 Captiuo : nunquam desunt stipendia , uictõ
 Hoste : audete animis fortes confligere tantum .

Dixerat : acclamare omnes , signumq̃ dederunt ,

D iiii Se cu

Borbonij oratio
 ad suos .

Se cupidos pugnae, & Marti insudare paratos.
Sic ubi corda suis auxit Dux cautus, in agrum
Approperat, quem Gallorum tentoria complent.

Loci descriptio, ubi Rex castra locarat ad obsidionem Ticinini.

Est locus affinis Ticino (patria Parcum
Lingua uocat) castra illic dudum Gallica passim
Disposita institerant: persaepe haec lumine lustrat
Borbonius, signatq; notis, ubi propria sedes
Gallis, Heluetiis, Italis: ubi denique fixa
Sint tormenta: ubi stet Gallorum robur equestre.

Borbonius acies suas instruit in Regem pugnaturus.

Re sic perspecta, restabant ordine secto
Educendae acies. Equitum struit agmina bina:
Et peditum quatuor. Germano milite primum,
Hispano admisto, ac Italo (sex milia talis
Efficit ordo) sagax conflatur. Stat deinde secunda
Solo Hispano acies peditatu. Tertia, quarta
Germano solo. Structo sic agmine, certum est
Consilium pugnare. Locus, qui promptior esset
Introitu, eligitur. Gallorum exercitus omnis,
Qui inter Borbonium, & Ticini moenia stabat,
A tergo, a fronte, a latere immense alta sinistro
Munierat ualla, & se ex omni parte tenebat
Tectum, sit quaecumq; impressio ab hoste propinquo:

Regis cautio in hostem.

Borbonius nocte media Gallos inuadit.

Iamque ferè medios Caeli nox humida tractus
Contigerat: Dux castra mouet, murisq; propinquat
Borbonius

Borbonius Parci (Parcum uocat Itala lingua)
 Qua se parte putat tutum Rex Gallicus, illac
 Non posse intrare hostem fudit: sed uenit hostis
 Illac, disiectis muris: qua ingente ruina
 Borbonio est aditus Gallorum in castra repente.

Arma capit Gallus, nec in hostē irrupere segnis,
 Excipit insultum generose: hic talibus instat
 Rex dictis. Est, est hæc meta extrema laborum:
 Cernite iam ferro inuicti: quid possit Iberus
 Borbonio ductus, nostis: contendite, fallax
 Proditor ut pœnas meritas nunc perferat: ipse est,
 Qui Patriam ferro uoluit iugulare feroci:
 Is cadat, is pereat, uita priuetur iniqua.
 Non numero par est nobis, non consilio par,
 Non ductu æqualis: dat tantum audacia uires
 Effreni genti: ductu exuperamus, & armis.

Sic acies hortans, pugnae se accingit, & exit
 E uallo: hunc densæ turmae sectantur equestres:
 Et simul à pedite exoritur cum cæde tumultus:
 Pergunt in campos planos Galla agmina cuncta:
 Copia fit pugnandi ex æquo: Borbonius ui
 Eüicitur, miscent se acies, magis aspera pugna
 Crescit certando: sed post fera prælia, Gallis
 Læta inclinabat sensim uictoria, cum Mars

Regis hortatio ad suos.

Rex è castris exit contra Borbonij acies.

Rex in Borbonium uictor.

E Famæ

Mars fame sue
diffidens ad Io-
nem adit.

Famæ diffidens priscae, quæ debita Regi
Esse uidebatur Gallo, sic omnipotentem
Patrem obtestatur. Si per tua numina possit
(O genitor Diuumq̄, hominumq̄) manere perennis
Noster honos, nobis qui se conferre potest iam
Rex, modò sternatur tantis cum uiribus: hæret
Nostra ad metas fama, nisi id concesseris ultro.

Iouis assensus
in Gallum fran-
gendum.

Olli subridens, magnus sic Iuppiter infit:
Iusta petis, nec iniquus ero tibi, bellice Mauors.
Nolumus immortalem mortali inferiorem,
Et decus antiquum, quo toto nosceris Orbe,
Nunc tibi præreptum. Gallus quam excellat in armis
Rex, sat iam docuit: fato cogente potenti
Mox captiuus erit, duris in casibus æque
Floreat ut celsis animis, ac antè modestum
Gessit se in lætis rebus, dum consona uoto
Omnia Sors tribuit. Quòd si mihi mens ea fixa est,
Hunc cumulare omni uirtutis laude, sinistro
In casu poterit non paruam quærere laudem,
Excelsò dum animo uincet conamina Sortis
Aduersæ, ac fortem extra prælia se præbebit.
Talia dicta dedit Diuum pater, atq; hominum Rex,
Et Marti assensus totum tremefecit Olympum.

Regis pruden-
tiæ, & constan-
tiæ specimen por-
tenditur.

In rebus etiam
aduersis queritur
laus.

Mars patris assensu fretus nigra Tartara uisit:
Luctificam

PRIMVS.

Luclificam Alecto dirarum ab sede Sororum,
Infernisq; ciet tenebris : cui tristia bella ,
Iræ que , insidiæq; , & crimina noxia cordi :
Quæq; metu gelido mortalia pectora tundit.
Odit & ipse pater Pluton , odere Sorores
Tartareæ monstrum , tot sese uertit in ora ,
Tam sæuæ facies , tot pullulat atra colubris .
Quam Mars his acuit uerbis , ac talia fatur :
Hunc mihi da propriū , Virgo sata nocte , laborem,
Hanc operam , ne noster honos , infracta ue cedat
Fama animis Regis Galli , qui prælia tanta
Edidit antè , & nunc edit uel maxima uictor .
Tu potes elatos animos glaciante pauore
Spargere : uictrices acies tu reddere uictas:
Tu potes in quoduis facinus : tibi nomina mille,
Mille nocendi artes : inuictum concute robur
Galli animi : mentes inuictas sparge tremore
Horrifico : à me (iuro equidem per flumina Ditis)
Præmia magna feres : nec te labor iste grauabit.

Exin Gorgoneis Alecto infecta uenenis
Euolat alata ex Orco , ferturq; per altum :
Ac , ubi Borbonium feriunt denso agmine Galli,
Cursum illic sistit , uolitatq; per aëra spargens
Horrificantes guttas : illæ in pectora Galla

E ii Vix

35

Martis descensu
ad Inferos .

Martis oratio
ad Alecton furiam.

Gallorum animarum
consternatio .

*Vix penetrant: sed uiro tetro extinguitur ardor
Horribilis tandem: potuit tam mira malignum
Fatum. Ergo cedunt Galli: insectatur Iberus,
Borbonio ducente: tamen Rex mansit in armis,
Et furit intrepidus ferro, fortisq; tenet se.*

Regis uirtus in
uicta in armis.

Comparatio.

*Ac uelut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffûgit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet arce uiator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris, ut possint Sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Rex nubem belli dum constans detinet, omneis
Sustinet, & dicto increpitat, retinetq; fugaces.
Hunc circum pugnant (sparsit quos nulla pauoris
Tabes) Cabanneus, Trimollus, Fuxius, unâ
Gonserius, Galeacius (omnes, fulmina belli)
Et uelut immissi diuersis partibus ignes*

Comparatio.

*Arentem in syluam, & uirgulta sonantia lauro:
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter: non segnius illi
In martem, mortemq; ruunt per prælia: tunc, tunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia uinci
Pectora: tunc totis in uulnera uiribus itur.*

At li

At licet obstiterint ualide, pugnæq; diu uim
 Pertulerint, occumbunt tandem uulnere fossi,
 Purpureamq; animam effundunt cum sanguine largo.
 Sic his dura quies oculos, & ferreus urget
 Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

Gallorum quorundam Ducum præstantiorum mors.

Fulminat hic tum Rex armis: ubi strata suorum
 Corpora spectat humo: ceu, cum post funera prolis
 Ductæ per campos (postquam sat fortia membra
 Gressu) desperatus Aper, si indagine retis
 Cingatur, furit immani uel dente, uel ungue:
 Sed tamen hunc nimius tandem ui conficit Vmber,
 Copia uel Venatorum transuerberat ingens:
 Sic densato oppressus turbine concertantium
 Rex capitur. Quis enim fatis instantibus obstet?

Comparatio.

Anno

1525.

6. Calen. Martias.
 Rex captus in pugna Ticinensi.

Ah, quantas Patriæ lachrymas, quam acresq;
 dolores

Capte dabis: quanto Mater perfusa madebit
 Fletu: quanta trahet tristi suspiria corde.

Sed non degeneri, aut pauido te pectore captum
 Audiet, at durante diu impete depugnantem:
 Solum sustinuisse Hispanas tempore longo
 Turmas, atque acies: solum misisse sub Orcum
 Plus ter centum animas: captum non deniq; Ibero,
 Sed Duce Borbonio Gallo: sic Gallica uirtus

E iii Virtuti

Quicquid ad
Ticinensem agrum
gestum est, iure
sibi assumet Bor-
bonius, non gens
Hispana.

*Virtuti Gallæ cedit: uictoria Galla est,
Non Hispana, capit Gallum dum Gallus in ipso
Conflictu: hoc saltem miseri solamen habebit
Euentus Mater, priuataq; Gallia Rege.*

Francisci Valesii Gal-

LORVM REGIS

FATA.



STEPHANO DOLETO GALLO

AVRELIO AVTORE.

LIBER SECVNDVS.



ALLVS ut aduerso ces-
sit post prælia Marti,
Et (cogente id fato, Cœlico,
lumq̄s parente
Terribili) in dittonem Hispano,

rum incidit armis

Rex uictus, subito Ticinum ducitur urbem.

Obstupuere acies Gallæ, gemitumq̄s dederunt:

Et gelidum ex tremulo reuomentes corde pauorem

Concussis cecidere animis: ceu frondibus ingens

Sylua tremit lapsis, boreali impulsâ tumultu.

Tum arma etiam abiiciunt: certam fuga cuiq̄s salutem

Promittit: sed, quâ sperant excedere posse

Flumine Ticino, qui illic Pons structilis amnem

E iiii Antè

Anno

1525.
 Rex Gallus ca-
 ptius.

Rex Ticinum
 ducitur.

Descriptio fra-
 cti exercitus.

Pons ruptus à
 Duce Alenconio.

Antè tegebat, ut esset Gallis transitus ultra
 Ripas, ruptus erat: sic spe frustrantur inani.
 Loricis humeros nudant, & prælia relinquunt:
 Nec duci, nec iura pati captiua recusant.
 Implorant pacis leges, pactumq; salutis.
 Sicut acerba duo quando in certamina Tauri
 Concurrunt, largo miscentes sanguine pugnam,
 Cuique suum pecus inclinat: sin cesserit uni
 Palma duci, mox quæ uicto pecora antè fauebant,
 Nunc sese imperio subdunt uictoris: & ultro,
 Quanquam animû dolor altus habet, parère fatentur:
 Non aliter Galli, licet ingens moeror adhauserit
 Pectora pulsa metu captiui Regis, ad hostem
 Se referunt, & uitam pacto utcunque tuentur.

Comparatio.

Varie uolun-
 tates, uarij item
 conatus in fortu-
 na aduersa.

Multi uel fortes animo, uel dura timentes
 Vincula uictoris, malunt finire propinqui
 Fluctu Ticini uitam, quàm hostile subire
 Imperium: fastusq; Hispanos. Erigit amnis
 Sese mole tumens (miserabile) submersorum.

Multi spem nacli, posse exuperare natando
 Vltiorem amnis ripam, se fluctibus altis
 Iniiciunt, agitant ulnas: sed flumine largo
 Lassè, uix medium traiecere: haustus anhelat
 Spiritus, & sensim uastum subiere profundum:

Semianimes

*Semianimes redeunt ex imo : gurgite rursus
 Merguntur : rursum illi appârent flumine pleni :
 At luctantem animam lenta cum morte trahentes,
 Extincti demum liquidis periere sub undis .
 Arreptis alii tabulis se fluctibus audent
 Credere : qui longum uecti celerante secundo
 Fluxu , consistunt nullo portu'ue , sinu'ue :
 Et uita exhausti, salsum labuntur in æquor,
 Aut spissa interea eiecti conduntur arena .*

*Tum plausus per tecta mouët, quos mœnibus antè
 Clausos obsidio Gallorum dura grauarat :
 Borbonium extollunt , Læuamq; fatentur in astra
 Efferrî dignum , qui tot conamina Regis
 Sustinuit Galli, & toties ui reppulit hostem .
 Tum uina effundunt pateris, & dona Lyæi
 Accumulant: plenis uenerantur lancibus aras.
 Thura ignes adolent , fumant altaria Diuum .
 Conclamant omnes lætum pœana subinde :
 Gaudia crebrescunt summis cum uocibus altos
 Sublata ad cœlos : & cantu personat Aether .
 Pars spolia ampla gerit Galla, exuuiisq; superbit
 Ditibus , irridens Gallorum robur inane .
 Sic est in uictos dictis uictoria mordax.*

Gallia continuo' fama completur acerba ,

F Captiuum

*Ticinenſiū exul
 tatio post Regem
 Gallum captum.*

Gallie conser-
natio post Regem
captum.

Lodoica Re-
gis mater.

Eiusdem que=
rela in Fata.

Eius item apo-
strophe ad Regem
captiuum.

Captiuum Regem esse, ac alta in moenia trusum
Ticini: obstupuere omnes, caruereq; uoce
Correpti moerore animos, largumq; pluentes
Hymbrem oculis. In primis affecta dolore
Est Mater, guttisq; humectat pectus obortis.
Tunc sic multa querens illa alto corde Virago
Verba dat, & sic increpitat crudelia Fata.
Quis Deus in coelo nostris sic inuidet actis,
Vt nil, quod cautè, uel sis feliciter orsus,
Finem optatum habeat, uotis cedat ue secundè?
Heu miseram, quàm præcipites labentia casus
Fata creant, quanto uoluuntur Fata tumultu.
Qui iam perpetuum referebas clarus honorem,
Et uictor parte in Latii: quem uiribus hostes
Horrendum, & trepidi toties sensere potentem,
Nunc captiuus eis langues: nil nobile Regnum
Te iuuat in præsens: expectanda hora parati
Subsidii est: sic, Gnate, iaces priuatus honore
Regali. Heu Sortem inuisam, quæ sola nocendo
Elatos frenas animos, effersq; iacenteis:
Quæ magnos, paruosq; teris, quæ fortibus æquas
Imbelles ducibus. Quæ causa indigna coëgit
Borbonio esse æquam, & Gallorū Principi iniquam?
Dixerat: & sicca illachrymans largo ora rigabat

Anne,

Amne, trahens duros gemitus, rapidosq; dolores.

*Non minis attoniti Galli per singula questus
Oppida continuos agitant: sed mente Virago*

Prædita sublimi sensim se colligit, ægrum

Deponitq; animum, mandatq; per oppida Galla,

Vt luctus speciem abüciant, foediq; doloris:

Et potiùs studeant augendis uiribus omnes,

Represso fletu, quo nil res Galla iuuatur.

Ceu spumantis Apri quando per uiscera dentes

Fulmineos Canis excepit præstantior omni

Ex numero, tunc infausto perterrita casu

Cætera turba fugit latrantùm, atq; ore magistrum

Circunstans querulo pauit, magnoq; ululatu

Infremit: at commota manu, dominiq; iubentis

Ore silet, gemitumq; premit, seseq; coërcet:

Non aliter Galli suppresso deniq; questu,

Et luctu, pârent iussis melioribus: urbes

Quisque suas munit, ne forsitan ingruat hostis,

Detur & in luctu irrumpendi occasio prona.

Denique sic animata manet plebs Gallica, malit

Vt priùs absumi ferro, quam uincier hostis

Aduentu. O generosi animi, ô interrita plebes,

O Regi bene fida suo gens Gallica semper.

Vt si forte Grues, per campos ordine factò,

F ii Amittant

*Regis Mater
se colligit: & idē
Gallis facere manda-
dat.*

Comparatio.

*Gallorum uir-
tus, & fides, Rea-
ge captiuo.*

Amittant laqueo captam, iaculo'ue peremptam,
 Insidiatori quam præfecere cauendo
 Noctu, palantes rostro dum pabula carpunt,
 Aut somnum capiunt fessæ, indulgentq; quieti,
 Propter id euentus non sic terrentur, ut agro
 Confestim excedant, uigiles sed lumina uoluunt
 Huc, illucq; loci, ut sese tueantur, & omneis
 Insidias uitent, quas callidus abdidit Auceps.
 Sic Galli, capto Rege, haud terrentur, inertè
 Nec se langori dedunt: sed pectore toto
 Atq; modū, atq; uiam inueniunt, quibus insultantem
 Borbonium reprimant. Tum sic hortantur alacrem,
 Regno qui præsumunt, populum, exacuuntq; monēdo.
 O popule, in patrias sedes si barbara signa
 Irrumpant, animam pro libertate paratus
 Fundere, certa audax: hosti succumbere, peius
 Morte puta. Quid enim dictu crudelius, hostem
 Quàm spectare ferum patrios popularier agros?
 Et (uelut indomitum rabie exagitante Leonem)
 In laribus sæuire tuis? incendere tecta?
 Vxorē stuprare? sinu priuare Parentum
 Lactentem sobolem? tibi rebus denique cunctis
 Ablatis, iuga dura oppresso imponere collo?
 His uitam postpone malis: seruire, ferarum est,

Urbibus Gal-
 liæ præfectorum
 exhortatio ad ple-
 bem.

Non

Non hominum. Prius aura tibi, quam candida desit
 Libertas, nec in hostes armis incide uictus.

Seruitus ferarum est: Libertas hominum.

Applaudit populus taleis fundentibus ore
 Voces, & fugiturum se discrimina nulla
 Affirmat, nec concessurum hostilibus ausis.

Hæc ubi Borbonius rescit, sententia prima
 Regnum inuadendi Gallorum illi excidit atrox:
 Fata etiam Gallo Regi nimis antea dura
 Mutari cœpere simul, uoluereq; saluum
 Regnum captiui Regis, nec bella subire.

Borbonius regnum Gallie posse inuadere diffidit.

Et qui hostis fuerat semper, Rex Anglus amicū
 Se præbet totum Gallis, nec suscitât arma
 In Rege orbatos. Quid non Fata improba possunt,
 Siue fauere uelint, seu sint in rebus iniqua?

Rex Angliæ Gallis amicus in fortuna afflictâ.

Pisileoni clausus celsa Rex manserat arce
 Iamq; diu: suadent custodes uisere Carlum
 Hispanum ut Regem uelit, & componere tantos
 Bellorum motus, libertatemq; priorem
 Conditione aliqua redimat. Rex annuit, & se in
 Hesperiam uectandum extremam credit Iberis.

Rex Gallus in Hispaniam trahitur.

Italia excedens, pelago committitur alto,
 Et sine tempestate Hispanis applicat oris.
 Barbara gens spectat, Gallorum in Principe quantus
 Est ceruicis honos, lata quam in fronte serenus

Regis forma, constantia, & uirtus Hispanam

gentem in admi-
rationem adduxit.

Stat decor, & dulcis quàm oculorũ aspectus, & alti
Ingenii specimen quantum, quàm mascula uirtus.
Quò magis inspiciunt, hoc admiratio maior
Hos capit, & numen credunt ex Aethere lapsum,
Non hominem: tanta est illi grauitasq̃, decorq̃:
Nilq̃ minùs capto, quàm capti inhonestã figura,
Aut gestus, gressus, sermo, atque agitatio mentis.

Rex in Hispania
morbum sanabat:
qui lingua Gallica
dicitur les Escroelles.

Præterea, attoniti clamant, hunc numine Diuũ
Captiuum, Hispani deuẽctum ad litora Regni:
Nempe manus tactu morbum sanabat edacem,
Serpentemq̃ cauo iugulo. Sic gratus, ut antè,
Est superis, uires etiamnum in carcere seruat.
Indicio tali, Regum sanctissime, qui te
Arcebant, facile est inuisos credere Cœlo.

Nuncius extemplo Regis peruenit ad aures
Hispani, Regem Gallum applicuisse: superbus
Ille iubet captum, cingente satellite multo,
Castro concludi, quò nemo aspiret amicus.

Apostrophe ad
Regem Hispani-
num.

Siccine, Rex Hispanie, tibi perstringere mentem
Prospera Sors potuit, Gallisq̃ asperrima rebus,
Exueres ut sensum omnem humani ue, piũ ue?
Nec (quod iura uolunt) tractares Marte sinistro
Captiuum Regem pro conditionibus æquis?
Post etiam capiere olim, si Gallica tecta

Inuades

SECUNDVS.

Lautrechus noscens, Regi mandauerat, ut mox
Mitteret auxilium. Mittit cum milite multo
Francum Borbonium: Comitem quem Gallia sancti
Pauli appellat. Ab altis actutum Alpibus exit,
Insubresq; petit: quasdam quibus eripit urbes
Coniunctus Venetis. Victor subsistit, & audit
Lautrechum extinctum: qua re perculsus in hostem
Hispanum tantum studet exercere ualentes
Gallorum uires, quas secum adduxerat illuc.

At (Fato nildum Gallis bene rebus amico)

Tandem disunctis pedetentim uiribus inter
Se tum Gallis, tum Venetis, Antonius illum
Laeva capit. Sic prorsum Italiam excluditur aruis
Gallus, post tentatam iterumq; iterumq; minacem
Mauortis sortem aduersi, casusq; sinistros.

Postea Galli que, Hispani que immania bella

Exosi, quae tanta diu gessere procaces,
(Ut uariae sunt hercle uices mortalibus actis)

Ad pacem inclinant, & foedera amica pacisci
Malunt, quam tanto semper certare tumultu.

Pacem igitur firmat Gallo cum Principe Carlus
Hispanis: Mauorsq; fugit reiectus utrinque.

Foedere composito, tentat Rex Gallus ab ortis
Externis reuocare suos, sua pignora chara,

H ii Quae

59

Anno

1528.

Franciscus Borbonius Comes sancti Pauli in Italia misus cum exercitu.

Anno

1529.

Comes sancti Pauli captus in Insubria.

Eodem anno.

Foedus initum inter regem Gallum, & Hispanum.

Fratrē, & ad Hispanū regem proficiscitur ardens
 Immenso studio Germani è carcere Gallis
 Restituendi: Hispanum aggressa ita farier infit
 Non muliebri animo, planè sed mente uirili,
 Tota uirilis ut est, humili nec pectore nata.

Eius oratio ad
 Regem Hispanum.

Huc quoniam uētum est, Rex fortunate, petendi
 Pacem à te causa, Regemq; è carcere Gallum
 Soluendi, pacem petimus, Regemq; rogamus
 Vt solus: agedum, quo conditionis utrumque
 Impetrare licet per te, fac (quæso) sciamus.
 Quod petimus, iustum est: nam si tulit alea præceps
 Infausti Martis, uel ineluctabile fatum,
 Vt profligatus multa cum cæde suorum
 Rex esset, pugnansq; fero caperetur ab hoste,
 Non ratio tamen æqua feret, non iura probabunt,
 Hunc tibi captiuum debere diutius esse.
 Iam pete iusta: dabit pro libertate sua Rex
 Gallus, & ingenti non te frustrabitur ære.

Hispani Regis
 responsio.

Hæc ubi dicta dedit, respōsum expectat amicū.
 Ille uel exosus pacem, uel plus satis æstu
 Laudis adhuc mersus, quem gloria proxima palmæ
 Augebat, tumido responso talia fatur.
 Nec pacem renuo, nec Regem reddere Gallis
 (Quamuis multa mihi nunquam non damna crearit)

Si, quod

Si, quod in Italia iuris sibi uendicat, omne
 Id mihi concedat: sinat &, Burgundia nostro
 Imperio teneatur: item concedat honores,
 Quos Gallis pendunt antiquo iure quotannis
 Pleumosii, Leuaci, Grudii, Centrones, Gorduni:
 Et te connubio iungat, propriamq; dicare
 Borbonio uelit: ac illi omnis restituatur
 Terra ablata prius, mihi quam inseruiret auitis
 Sedibus extorris: ducat simul ipse Sororem
 Antè meam, prima quam libertate potitus
 Ad Gallos redeat. Quòd si hæc præstare fideli
 Spondeat assensu, in sua iam iam regna remittam:
 Non secus. O durum pactum uictoris acerbi.

Hæc ubi responsum est fieri non posse, reuertunt
 Missi Oratores, & cum his diuina Virago.

Pòst paulò, languens tam longo tempore clausus,
 Incidit in morbum tetrum Rex: aduolat illuc

Confestim Induperator: inani spe alleuat ægrum,
 Verba dat, affirmat libertatemq; propinquam.

Quò facit hæc? ne, si fortasse in carcere Gallus
 Captiuus pereat, præda frustretur opima,
 Et precium amittat Regis spe iamq; uoratum.

Illa fuit causa inuisendi Principis ægri,
 Non alia. Et sanè nunquam illum inuiserat antè.

Eius iniqua po-
 stulata, ut Regem
 Gallum liberaret.

Necessitas hæc
 uersus licentiam
 suavit.

Rex Gallus in
 morbum incidit.

Eum ægotum
 Rex Hispanus uis-
 sitat.

G Conualuit

Rex Gallus con-
ualefcit .

Omnia pro li-
bertate affentitur
Imperatori .

Regis Galli fi-
lij obfides pro Pa-
tre .

Gallie alacri-
tas in reditu Re-
gis .

Comparatio .

Conualuit tandem Rex morbo emerſus atroci,
Et vires recipit primas . Tum regia Mater
Nil non tentatum , circumſpectumq; relinquit ,
Liberet ut prolem : perpennis omnibus , illi
Mandat , ut Induperatori nil abnuat , æqua ,
Siue iniuſta petet (quid enim , quò ergaſtula uites
Tam diuturna , hoſti non polliceare coactus?)
Et quocunq; modo ueſanum pectus auari
Expleat . His credit monitis , depactaq; ſpondet
Se præſtaturum Hiſpano . Sic liber ab hoſte
In Gallum regnum reuenit Rex Gallus , Ibero
Antè datis Regi obſidibus , non uilibus illis ,
Aſt ex prole ſua : Gnatis iis nempè duobus .
Sic non pura fuit , ſed duro miſta dolore
Lætitia , in Regnum reducem tunc cernere Regem,
Et Regis Gnatos patriis abducier oris .
Gallia læta tamen pro libertate recepta
Gratatur Regi , atque ſuum teſtatur amorem ,
Atque fidem : miris applauſibus omnia circum
Subſultant , & mœror edax , qui pectora Galla
Excruciarat , abit : rediit frons cuiq; ſerena
Eiecto ſqualore . Velut cùm longus , & ingens
Agricolæ tenuit reſolutis nubibus humber
Suſpenſos , curuumq; diu requieuit aratrum :

Tunc

Tunc si clarus Equos spacioſo limine Titan
 Laxet, & aurato Cœlum ſplendore ſerenet,
 Lætitiæ exundant, tollunt & ad Aethera palmas.
 Aut uelut ad Domini reditum Canis actus amore
 Totus adulatur, ſaltat, lambitq; repertum,
 Nullo ſtatq; loco, & ſexcentos conficit orbes
 Huc, illucq; celer currens: ac uix ſatis hora eſt
 Signa ad lætitiæ promenda: ita gaudio abundat.
 Regis ad aduentum ſic Galli mente feruntur
 Exhilarata omnes, & numen Sortis iniquæ
 Rident (Rege ſuo freti) crudeleq; fatum.

Non ita adhuc pridem ſucceſſerat in ſua Gallus
 Regna, timet grauius Gallos inuadere fines
 Borbonius: iam tunc aliò conuertit Iberas,
 Quas habet, Italicasq; acies, & moenia Romæ
 Cogitat expugnare: Vrbis at dum aduerteret agmen,
 Et nixus ſcalis audet conſcendere primus,
 Ecce uirum contra inflammata eſt machina fumans:
 Incertum, qua incenſa manu, quo milite recta,
 Quis tantam Romæ laudem caſus'ue, Deus'ue
 Attulerit: preſſa eſt inſignis gloria facti,
 Nec ſe tam egregio iactauit uulnere quiſquam.
 Ille cadit læſus ſæuè: quem ex agmine creber
 Subducit ſubito miles, ſtatuitq; cruentum

G ii Mollib.

Emphatica eſt
 utraq;.

Comparatio.



Anno

1527.

Borbonius ſuum
 exercitum contra
 Romam ducit.

Borbonij mors
 in oppugnatione
 Romæ.

*Mollibus in pratis : ubi secum multa reuoluens
Mente , animoq̄ , graueis emittit pectore tristi
Questus . Ast illi soluuntur frigore membra ,
Vitaq̄ cum gemitu fugit indignata sub umbras .*

Roma expu-
gnatur ab exerci-
tu Borbonij inter-
fecti .

*Tum uerò immensus surgens ferit aurea clamor
Sydera : Borbonio crudescit pugna perempto .
Frendent , atq̄ animis pariter certantibus omnes
Dant cuneum , densaq̄ ad muros mole feruntur :
Scalæ improuiso , subitusq̄ apparuit hostis .
Discurrunt alii ad portas , primosq̄ trucidant :
Ferrum alii torquent , & obumbrant Aethera telis .*

*Exoritur trepidos inter discordia ciues :
Vrbem alii reserare iubent , & pandere portas
Hispanis : plebs acta metu certare recusat :
Arma ferunt alii , & pergunt defendere muros .*

Comparatio .

*Inclusas ut cùm latebroso in pumice Pastor
Vestigauit Apes , fumoq̄ impleuit amaro :
Illæ intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt , magnisq̄ acuunt stridoribus iras .
Voluitur ater odor tectis : tum murmure cæco
Intus saxa sonant , uacuas it fumus ad auras .
Accidit hic etiam Romanis ciuibus horror ,
Qui totam luctu concussit funditus urbem .*

*Quò magis hi cedunt , urget magis hostis Iberus ,
Et*

*Et muris tandem uictor supereminet altis:
Non mora , non requies, miseram labuntur in urbem.*

*Ac ueluti montis saxum de uertice præceps
Cùm ruit auulsum uento , seu turbidus humber
Proluit , aut annis soluit sublapsa uetustas ,
Fertur in abruptum magno mons improbus actu ,
Exultatq; solo , syluas , armenta , uirosq;
Inuoluens secum . Disiecta per agmina plebis
Sicruit Hispanus cædens : ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntq; hostilibus auræ
Ictibus , et Tybris stillante cruore rubescit .*

Comparatio .

*Diffugiunt pauidi ciues , tectisq; tueri
Se sperant , & in imis actutum ædibus abdunt.
Vnâ omnes lachrymas matres, pueriq; , senesq;
Fundebant mœstam implentes mugitibus urbem.*

*Horridus at tantos hostis ridere dolores ,
Et populari urbem ferro , exercereq; late
Immaneis iras , & prorsus parcere nulli:
Diripere uno , eodemq; modo sacrasq; , profanasq;
Aedes : uirginibus , uiduisq; afferre pudicis
Vim : nuptas stuprare : incestu aspergere fœdo
Vestales : nusquam reuereri templa , uel aras ,
Sive Sacerdotes : Diuorum corpora capsis
Enudare suis , & conculcare profanè .*

Rome direptio
immanis.

*Impia Gens, tibi quæ nã admorüt ubera Tigres,
Vt ne uel Diuüm scelerata peperceris ulli?*

Clemens Pon-
tifax Romanus se
dedit.

Pontificem terror Romanum inuaserat: arce
Se claudit ualida, Germanæ opprobria gentis
Vt uitet tutus, nec ab hoste agitetur atroci.
Attamen obsessus tandem se dedit, & ingens
Auri dat pondus saluæ pro munere uitæ.

Lautrechi ex-
peditio in Italiã.

Vt tam indigna audit Rex religionis amator
Vnicus, ex Gallis oris exercitus Alpes
Traicitur, duce Lautrecho: qui nobilis arte
Ducendi belli miras res gessit in hostes,
Marte iuuante uiri primos feliciter ausus,
Et uirtutem. Ergo Insubres peruadit in agros.

Comparatio.

Qualis ubi ad terras abrupto sydere nimbus
It mare per medium: miseris heu præscia longè
Horrescunt corda Agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, stragemq; satis, ruet omnia late:
Antè uolant, sonitumq; ferunt ad litora uenti.
Talis in aduersos hic ductor strenuus hostes

Boscus urbs in
agro Alexandri-
no capitur à Lau-
trecho.

Agmina agit ualide. Boscus conamine primo
Diripitur, Gallæq; manus uim sentit acerbam.
Posteà Alexandrinos agros milite complet.

Andreas Auria
oram Ligusticam
inflat.

Hæc dum Lautrechi ductu prudente geruntur,
Auria Præfectus Gallorum classis in altum

Massilia

Massilia educit septemq̄s, decemq̄ue Triremes,
Atque oram Ligurum infestat: Genuæq̄s potentis
Obsesso portu, ui maior in æquore regnat.

Tum terrestri aditu Cæsar Fulgosiuis urbi
Imminet: erumpunt ciues: quos Marte repulsos

Persequitur Cæsar: concussaq̄s urbe potitus
Lautrechum admittit: Regis qui nomine uictis
Præfectum imposuit. Ligurum ditone recepta,

In sua castra redit ductor Lautrechius: agrum
Vndeq̄s Alexandrinum appellat patria lingua,
Vrbem oppugnare instituit: iam moenia quassat
Tormentis: intrant acies cum cæde feroci.

Non Germani, Italiue obstant, quin ingruat omnis
Galla manus, uictrixq̄s exultet in urbe rebelli.

Progreditur Ticinum illinc Lautrechius heros:
Cinguntur muri uallis, densæq̄s cohortes
Hinc inde expositæ sidunt: tormenta boatu
Terribili acta, sôlo æquant statim moenia rupta.

Tum sic Lautrechus Gallos hortatur. Iberum
Vos nunc abripiat furor exitialis in hostem.
Hic Locus (o Socii) est, urbs est, ubi Gallica nuper
Virtus Borbonio (Fatis cogentibus impiis)
Cessit, Rexq̄s fuit captus. Lustrate sequaci
Lumine: Gallorum dispersis ossibus albent

G iiii Agri,

Cæsar Fulgo=
sius Genuam obsi=
det.
Eandem capit.

Lautrechus præ=
fectum imponit
Genuæ.

Alexandriam
oppugnat.

Eandem expu=
gnat.

Ticinum à Lau=
trecho oppugna=
tur.

Lautrechi ora=
tio ad milites.

*Agri, sanguine adhucq̄s madent: putrescet inultus?
 Riserit impune hæc Gallos in Marte sinistro
 Urbis fera? nec tanto pendet pro crimine poenas?
 Non prius errantes animæ nigra flumina Lethes
 Gallorum errantes animæ post corpora cassa
 Tranabunt, quàm ulciscamur crudelia facta
 Urbis funestæ. Hoc animis præstate Parentum:
 Audiat hoc etiam Rex, quàm ulciscamur acerbè
 Illius infelix fatum, sortemq̄s malignam.*

Ticinum expu-
 gnatur à Lautre-
 cho.

*Vix ea fatus erat: certant, quis primus in urbem
 Ingruet, & primus statuet uictricia signa
 Hostibus in mediis: iam nulla pericula terrent.*

Comparatio.

*Qualis apud gelidi cùm flumina concitus Hebræ
 Sanguineus Mauors clypeo increpat, atque furentes
 Bella mouens immittit Equos: illi æquore aperto
 Ante Notos, zephirumq̄s uolant: gemit ultima pulsu
 Thraca pedum, circumq̄s atræ formidinis ora
 Iræq̄s, insidiæq̄s (Dei comitatus) aguntur.
 Talis & hos alacer media inter prælia feruor
 Trudit in obstantes: dant fortia corpora leto
 Germanæ gentis tutandis mœnibus aptæ:*

Comparatio.

*Ac uelut Aedoni Boreæ cùm spiritus alto
 Insonat Aegæo, sequiturq̄s ad litora fluctus,
 Quæ uenti incubuere, fugam dant nubila Cælo:*

Sic

Sic Gallo, quâcunque uiam secat, agmina cedunt,
 Conuersæq; ruunt acies: quatit impetus hostem,
 Atque pedem cogit, Gallo uincente, referre.
 Intus bacchantur, fluit undiq; sanguineus ros,
 Obscœnusq; cruor stratâ calcatur aceruis
 Exanimatorum: nulli iam parcitur: ignes
 Iniecti tectis rutilantia sidera lambunt.
 Nil nisi mœrentes rigido sub Marte cadentum
 Voces tum accipias, passimq; incendia spectes.
 Hic Gallus se iterum exacuit, cædemque remissam
 Suscitât, irarumq; omneis effundit habenas:
 Obuius ut que est quisq; , hic illi feruidus ense
 Transadigit costas, & crates pectoris omneis.
 Ulciscendi animus potuit tam sæua patrare.

Sic agitato Ticino deducit in oram
 Lautrechus Romanam acies: ubi liberat hoste
 Pontificem magnum, ac ablatum reddit honorem.

Flaminia excedens posthac inuictus ubiq;
 Parthenopen tendit: multis prius urbibus acri
 Marte expugnatis. Hic tum disponit ad altæ
 Mœnia Parthenopes castra; obsidioneq; cingit
 Illic inclusos hostes: sed tabida membrâ
 Corrupto Cœli tractu, miserandaq; uenit
 Arboribusq; , satisq; lues, & letifer annus.

H Linquebant

Ticinensium mi-
 ra cædes propter
 Regem illic antè
 captum.

Clemens Pon-
 tificis Romanus li-
 bertati restitutus
 à Lautrecho.

Anno

1528.

Lautrechus du-
 cit exercitum Gal-
 lum Parthenopè:
 & eam obsidet.

Lautrechi ex-
 ercitus pestilentia
 absumptus in ob-
 sidione Partheno-
 pes.

Linquēbant dulcēis animas , aut ægra trahēbant
 Corpora : tum arentes exurere Sirius agros ,
 Perpetuam generare sitim, & rapidū ossibus æstum.
 Commotus sanguis circum præcordia fumat ,
 Aterq̄ ebullit uenis cum tabe liquente.
 Hinc furit , atque artus depascitur arida febris,
 Totq̄ neci gelidæ extemplo dat morbus acutus ,
 Horreat ut tellus sic tecta cadauere denso.
 Extinctum socium uidet extinguendus eadem
 Siue die , seu hora socius : contagio morbi
 Tanta est, & tantis crudeſcunt astra uenenis .

Sic grassata lues multis ē milibus unum ,
 Aut aliud funesta integrum à morte reliquit .

Lautrechi mors.

Dux etiam Lautrechus obit , correptus & ipse
 Communi morbo , communi peste suorum.

Tum urbe egressi hostes magno cū robore, sternūt
 Reliquias Gallas sine ui , nulloq̄ labore :
 Languida sic periit turba, atque exercitus æger.
 Ecquid enim pulsent hostem uix membra trahentes ,
 Faucibus & mediis rapti iam mortis acerba?

Disiectis castris , nullo obsistente furori ,
 Quos genus illustrat , capit illos hostis auarus :
 At tenues , inopesq̄ necat , spoliatq̄ peremptos.

Parthenope obsessa , exhaustum se uiribus iri

Lautrechus

Lautrechbus noscens, Regi mandauerat, ut mox
Mitteret auxilium. Mittit cum milite multo
Francum Borbonium; Comitem quem Gallia sancti
Pauli appellat. Ab altis actutum Alpiibus exit,
Insubresq; petit: quasdam quibus eripit urbes
Coniunctus Venetis. Victor subsistit, & audit
Lautrechum extinctum: qua re percussus in hostem
Hispanum tantum studet exercere ualentes
Gallorum uires, quas secum adduxerat illuc.

At (Fato nildum Gallis bene rebus amico)

Tandem disunctis pedetentim uiribus inter
Se tum Gallis, tum Venetis, Antonius illum
Læua capit. Sic prorsum Italis excluditur aruis
Gallus, post tentatam iterumq; iterumq; minacem
Mauortis sortem aduersi, casusq; sinistros.

Postea Galli que, Hispani que immania bella
Exosi, quæ tanta diu gessere procaces,
(Vt uariæ sunt hercle uices mortalibus actis)

Ad pacem inclinant, & foedera amica pacisci
Malunt, quam tanto semper certare tumultu.
Pacem igitur firmat Gallo cum Principe Carlus
Hispanus: Mauorsq; fugit reiectus utrinque.

Fœdere composito, tentat Rex Gallus ab oris
Externis reuocare suos, sua pignora chara,

H ii Quæ

Anno

1528.

Franciscus Bor-
bonius Comes san-
cti Pauli in Italia
missus cum exer-
citu.

Anno

1529.

Comes sancti
Pauli captus in
Insubria.

Eodē anno.

Fœdus initum
inter regem Gal-
lum, & Hispani-
um.

Quæ pro se dederat uinclis exemptus Iberis.

Aureorum uigiesies centena milia pro redemptio-
ne liberorum Regis Galli.

Anno

1530.

Liberorum Regis reditus ex Hispania.

Comparatio.

Annuit huic Carolus : sed primùm postulat aurum
Pondera magna : etiam uult , ut Rex ipse Sororem
Antè suam ducat : tali stans foedere Gnatos
Rex redimit : læti redeunt in patria Regna .

Tum Gallis , Patriq; ipsi noua gaudia crescunt :
Sed Patri ante omnes : sic exundabat amore
In Gnatos , grauib; tandem euasisse periclis
Exultans . Veluti exiguis cùm ex Aethere gyrans
Incubuit pullis , & magno turbine Miluus
Insiliens auido ore furit , stragemq; minatur ,
Tum cristata ales percusso pectore mater
Consurgit , misero Gnatorum exterrita casu ,
Rostrum acuit , totisq; petit conatibus hostem ,
Et multa expulsus ui tandem cedere cogit :
Dehinc perturbatos crocicans exquirat , & omnes
Attonitos cogit pro charis anxia Gnatís ,
Et tanto ereptos gaudet superesse periclo .
Non secùs exultat perfusus pectora totus
Lætitia Rex Gallus , ut ereptos uidet hosti
Quauis conditione suos , sua pignora chara .

Comparatio .

Sedibus hi patrius reduces lætantur . Ut uncis
Vnguibus Accipitris Passer detractus , in agros
Matura segete albentes si deuolet , Aethra

Garritu

Garritu complet uario , oblitusq; pericli
 Alis subsultat , uolitatq; arbusta sequendo .
 Libertatis amor sic sic mouet omnia dulcis :
 Libertatis amor , sine qua lux , uitaq; amara est .

Libertatis amor.

Rex ut magnanimum sese præberet , & alti
 Pectoris , uxorem mirando excepit honore ,
 Et miro applausu : nusquam non omnia læta :
 Inq; uicem certant Galli (mœrore relicto ,
 Et Sortis duræ freti melioribus auris)
 Tunc lætos celebrare dies : certamina , ludos
 Magnificos obnixè agitant , festasq; choreas .
 Imprimis uerò Regi gratantur ouantes ,
 Qui optatos Gnatos habet , incolumesq; reduxit .
 Sicut ouem incautus Pastor qui è milibus unam
 Amisit seræ oblitam decedere nocti

Helionoram Regis
 Hispani Sororem
 duxit uxorem Rex
 Gallus .

Cum gregibus , ubi per rupes , perq; aspera tristis
 Quæsiuit dumeta diu loca cuncta uolutis
 Conuisens oculis , demum si fortè reposta
 Pascentem ualle inuenit , subito arripit illam ,
 Sublatamq; humero stabulis lætissimus infert .
 Intranti assurgunt serui , exultantq; fideles ,
 Ipsam & ouem reducem plausu domus excipit omnis .

Comparatio .

Tam bene compositis rebus , belliq; tumultu
 Sedato , meminisse iuuat , quæ ferre molestum

Antè fuit toties : sunt suauia gaudia longis
 Tandem parta malis : antiquum corde timorem
 Expellunt omnes : & fretus pace quieta
 Quisque Deum summum summis cum laudibus effert .

Anno

1531.

Lodoica Regis
 mater è uita excedit .

Vix deserbuerat Gallorum tanta per urbes
 Lætitia : ecce graui morbo consumpta Genitrix
 Regis obit (uax nulla diu Mortalibus afflat
 Sors iucunda) gemit iusto suffusa dolore
 Gallia : perdit enim , cuius prudentibus actis ,
 Ac ope diuina (captiuo Rege) procellis
 Multis emerfit , rabiemq; effugit Iberam .

Regis studium
 in Regno regèdo,
 & urbibus com=
 muniendis .

Finito luctu demum , exequiisq; solutis
 Magnifica pompa , luxuq; Viragine digno,
 Rex studiis totis posthac incumbit in æquum ,
 Atque bonum ; & populo leges præscribit amicas,
 Nil nisi quam cupiens uires auget scire Regni :
 Tum male munitas urbes , & castra præaltis
 Communit muris , & propugnacula passim
 Fortia disponit , quæ infestis hostibus obstant ,
 Si quãdo Heluetius ue , anglus ue , Hispana ue gës ut
 Ingruet in Regnum rediuiuis concita bellis .

Nec minis incumbit , concordia ut fœdere multos
 Iam sibi conciliet , multis ut fultus amicis
 In se irrumptentes nisu maiore repellat .

Hoc

S E C V N D V S.

Hoc captans Papā ad congressum admittit in urbe

Massilia: tractant illic permulta salubri

Consilio de religione, & pace tuenda.

Tunc etiam Clementis Neptem ex Rege secundus

Filius uxorem ducit lætis hymenæis.

Alter ab alterius complexu abscedit amicè,

Et redit in patriam, facturus multa futuris

Cursibus annorum: sed Mors nimis inuida merisit

Funere Clementem statim: nec siuit honesta

Consilia inter Regem, & eum succedere uotis.

Rex magis, atq; magis studet instrumenta parare

Tutandi Regni: morem antiquumq; secutus

Romanæ gentis, Legionum rettulit usum:

Quas primi Allobroges bello sensere subacti,

Galloq; adiecti Regno: sensere simul quas,

Nunc Pedemontani reuerentes scepra potentis

Regis, & eiusdem uiuentes nutibus æquis.

Hispanus Carlus regione redibat ab Afra

(Hic ubi nescio quid belli gestarat inane: ...)

Ignaris uerò rerum mirabile prorsus.

Et sanè præsens nunquam laudabile quicquam

Gessit: at absentem semper Sors cæca fauore

Multo complexa est, auxitq; secunda triumphis)

Parthenopen transit, Romam contendit, & illic

H iiii Multa

63

Anno

1533.

Clementis Pa=
pe, & Regis Galli
colloquium ad
Massilian.

Clementis Pa=
pe Neptem ducit
uxorem secundus
Regis filius.

Anno

1534.

Clementis Pa=
pe mors.

Anno

1535.

Legionum usus
relatus à Rege
Gallo.

Eodē anno.

Sabaudia Re=
gno Gallo adiun=
cta.

Eodē anno.

Imperatoris Hi=
spani reditus ex
Africa.

Eiusdem minæ
atroces in Regem,
& Regnum Gal-
lum: idq; , cum
Romæ esset.

Anno

1536.

Regnum Gal-
lum inuadit diuer-
sis partibus.

In Picardia,
duce Nansoo.

Perona obfessa
hostes repellit ui-
rix.

Eodē anno.

Imperator Hi-
spanus in Prouin-
ciam irrumpit.

Ad Aquas Se-
xtias castra meta-
tur.

Multa in Gallorum Regem, Regnumq; minatur,

Non satis expertus, possint quid robora Galla,

Quamq; parum timeat cuiusquam Gallia uires.

Ille amens igitur stimulante libidine Regni

Galli inuadendi, Veteranos colligit omneis,

Ac ueluti iam expugnato regno, oppida donat,

Attribuitq; illis. Sic sperans uincere Gallos,

Inuadit Regnum diuersis partibus: una

In Samarobrinas fieri uim curat acerbam,

Per medium Regnum illac ut peruadere posset.

Hostis agros populatus, & urbibus antè quibusdam

Captis, confidens felici sorte priore,

Obsidet inuictæ Peronæ mœnia, tota

Disiicit assiduus tormentorum ictibus, instat

Nudatæ muris urbi: stant fortia contra

Robora magnanimæ gentis: ter, terq; repulsæ

Hostiles acies coguntur cedere tandem.

Gallia sic frustra tentata est partibus illis,

Ac hostes fracti relinquunt conamina prima.

Parte alia Carlus Gallos inuaserat illac,

Quæ Varus Ligures à nostris diuidit oris.

Progreditur: tum, quos sinuosa Druentia lambit

Extremo cursu Rhodanum altis fluctibus augens,

Aggreditur populos, & Aquis consistit Sextiis.

Quo

SÆC V N D V S.

65

Apostrophe ad eundem.

Quò tuus ille calor? quò tanta potentia? tantæ,
Totq; minæ in Gallos? quò abierunt irrita cuncta
Illa, Hispanæ? tibi quò sic citò concidit ingens
Ille ingens animus, uel spes, qua Regna uoraras
Gallorum? quò præda tuis promissa recessit?

Ut Canis exardens ira si fortè secutus

Comparatio.

Est Aprum, subsistit Aper, spectatq; latrantem
Impavidus: fugit inde Canis lassatus inani

Latratu, & morsum nullum uasto incutit Apro.

Sic licet exarderet atrox, peteretq; furore

Immani Gallos Hispanus: non tamen ullam

Influxit cladem, stat uallo clausus in urbe,

Atque pauore tremens nusquam se in prælia confert

Sive grauis pugnae simulachro, seu leuioris.

Urbs est excellens mediis Auenio cincta

Artomicis populis: hanc præterlabitur unda

Præcipiti Rhodanus. Sub cuius mœnibus omnis

Galla acies castris positis, stationeq; fixa

Ordine perpulchro, quem Mommorencius (heros

Diuini ingenii, seu pacem, bellæ ue tractet)

Struxerat, expectabat inania fulmina gentis

Hispanæ: feruent omnes occumbere ferro

Pro Patria. Quid amor Patriæ non roboris addit?

Ad Urbem Auenionem castra Gallorum posita.

Mommorencius.

Lugdunum linquens Rex Gallus castra petebat,

I En

Eodē anno. *En* (*prō quān nimis ante diem*) *illi funere acerbo*
Præreptus, rediit *sublimia ad astra Tonantis*,
Filius (*heu magni Cœli certissima proles*)

Regis filij pri-
 mogeniti (quem
 Delphinum Galli
 uocant) mors .

Omnibus ornatus dignis uirtutibus ortu
Cœlesti, & *prima spirans ætate uerendum*
Diuorum genus, ac *uerum Iouis incrementum* .

Ah, *Cœlū ante diem repetiuit*: & *antè*, *potentes*
Quam regeret Gallos æquis sub legibus: *Orbi*
Spe solū ostensa, *qualis*, *quantusq; fuisset*,
Non largitus, *quæ speres à numine tanto* .

Quid facias ? Mors id uetuit, *Gallisq; sinistra*
Fata: *nec ad lætos uoluere adolescere fructus*
Speratū, *optatumq; Maris*, *Terræq; Monarcham*,
Tandem aliquando Hispanis cristis iura daturum .

Sed nimis hanc ob rem nostris, *uestrisq; micabit*,
O Vates, *quos huius amat Pater*, & *fouet amplè*,
Carminibus ? quin iure habeat præconia iusta
Promissi tam celsi animi, *Imperiiq; futuri* .

Scribite, *quā Romanæ Gētes*, *quā quoq; Graiæ*,
Quam Siculae, *Illyricæq; oræ*, *quam deniq; uastus*
Orbis spem amisit rectoris, *morte nefanda*
Cūm occidit imperii optati spes unica terris .

Is ueneno ab
 Italo Ferrariensi
 extinctus est .

Occidit, *ut fama est per Gallos certa*, *ueneno*
 (*O scelus infandum*) *parua quod præbuit urna*

Italus

*Italus, ille sitis quando exagitatus anhelæ
Aestu misceri sibi pocula fida iuberet.*

*Id Rex fert ægrè: sed non sic frangitur, hostem Eodē anno.
Ut non à Gallis oris expellere pergat. Imperatoris fu-
ga ex Prouincia.*

*Exin castra petit: quod cùm Induperator Iberus
Audiit, extemplo conclamat uasa, fugitq̃
Territus. Et Gallos uincat tam territa Vulpes?
Expectasset adhuc plenissimus ille minarum,
Et conferre manum uoluisset, ut antè ferebat
Se uelle: O' Gallis quàm illustris præda fuisset.
Maluit at timidus fugiendo cedere honore,
Et Gallas uitare manus, uictrixq̃ duellum.*

*Fugerat Hispanus: tum Rex, ut prorsus ab hoste
Redderet immunem Patriam, traducit in agros
Attrebatum multas acies: ubi fortia quædam
Castra, urbesq̃ capit uictor: sic hoste represso,
Et fracto partim, exauthorat Gallica signa.*

*Mox iterum furit hostis atrox, ferroq̃ fatigat
Urbes complures, illinc cùm nouit abesse
Gallam aciem. Morinis bellum crudeliter infert
Præcipue: conflat subitò Rex agmina contra,
Mittit & auxilium Morinis iam iam undiq̃ mense
Obsessis: statim longa obsidione leuantur.*

Hostis tunc Gallo foedus cum Principe sancit, Inducia,

I ii Scilicet

Anno

1537.
Bellum à Re-
ge gestum in Pi-
cardia.

Morini obsessi.

Scilicet ut decimum in mensem exin neuter in illa
Commoueat bellum regione, ullum ue laceſſat.
Hoc pacto deponit uterque exercitus arma.

Eodē anno,

Rex Alpes cum
exercitu tranſit
contra Hiſpanos
in Pedemontanis
agris bellum ge-
rentes.

Parte quieta illa, bello concertat Iberus
In Pedemontanorum agris, tentatq; ſubactas
Gallorum uires illinc expellere ſenſim.

Contractū auxiliū extemplo trāſmittitur Alpes
Rege duce, & Regis Gnato. Tunc agmina Galla
Propulſant hoſtes, aditu prohibere, uiaq;
Qui conabantur: ſed cedunt deniq; pulſi,
Rex recipitq; urbes quaſdam, quas ante tenebant.

Fœdus iſtum,
& dimiſſus utrin-
que exercitus.

Illi, ut ſe noſcunt Galla uirtute minores,
Expoſcunt fœdus: fœdus Rex annuit æquum,
Menſibus ut quatuor per ſe ſit libera Marte
Italia, & nullos detur conflare tumultus.

Francisci Valesii Gal-

LORVM REGIS

FATA.



STEPHANO DOLETO GALLO

AVRELIO AVTORE.

LIBER TERTIVS.



*I*SPANAE cessant
 profligatae undique vires,
 Notaq; Gallorum uirtusq;, poten-
 tiaq; ingens
 Induperatori Carlo, uetat arma

Anno
 1537.

mouere,

*Aut quicquam attentare noui : pax mitis ab illo
 Postitur : & pacem Gallus non abnuuit æqua
 Iungere conditione . Sub hæc mittuntur utrinque
 Legati , rebus certis bene disceptatis
 Qui pacem iungant : at res tandem irrita mansit ,
 Nec pax firmatur : longè discordia maior
 Imminet , antè fuit quàm belli flamma repressi.*

Tum Paulo Romano Pontifici anxia cura

I iii Incessit,

*Regis, & Impe-
 ratoris Legati ad
 Leucatan congregati
 diuntur, de pace
 concilianda.*

Pauli Romani Pontificis cura, ut inter Regem, & Imperatorem pacem conficeret.

Anno

1538.

Legati missi ab eodem ad Regem Gallum, & Imperatorem.

Pontifex Romanus, Rex Gallus, & Imperator ad Niciam conveniunt de pace inter se coniungenda tractaturi.

Regis, & Imperatoris querelam apud Paulum Pontificem.

Incessit, viam ut exploret bene sedulus omnem,
Qua tam commotos Reges coniungat amico
Fœdere, nec Mauors deleta redintegret asper
Bella, sed in terris per se pax aurea regnet.

Mittit ad utrumque Oratores, mentem utriusque
Qui placent, atque abducant à Martis amore
Prænimio: paret monitis Rex Gallus, Iberusque
Induperator: ita inclinant ad fœdera mites,
Tot post insultus, tot post incendia belli,
Postque minas tantas, & tantas pectoris iras.
Præterea est conuentum, ut coram congrederentur,
Ius suum uterque simul demonstraturus amice,
Ac odiis finem tandem, belloque daturus.

Est ager ad Varrum, quem illustrat (oppida prisca)
Nicia, & Antipolis: sedes ubi commoda uisa est
Colloquio Regum. Primus pelago aduolat illuc
Præsul Romanus. Post hunc cum classe frequente
Applicat Induperator. Adest Rex gallus equestri
Stipatus turma multa, crebraque triremi
Massiliæeducta portu. Sic sede statuta
Colloquio, magnis (mirum) multisque triumphis
Certat uterque diu. Paulum conuiscit uterque
Pontificem sæpe, & causas enarrat ab alto,
Quæ sese toties ad tam dira antea bella

Commorunt:

Commorunt: demonstrat item, quid iure reposcat,
 Quasq; uelit iuste, ac æque sibi reddier oras:
 Quod regnū, & ditio sua sit, quæ castra, quot urbes,
 Siue sui ratio, seu Atauorū habeatur, Auorum ue.

Exaudit Paulus magnas utriusque querelas,
 Nilq; minūs metuens, quàm pacem iungere firmam
 Inter eos non posse, studet componere questus
 Tam uarios hortatu, consilioq; fideli:

Vt decet ad neutram plus æquo accedere partem,
 Qui uelit esse æquus, cæcoq; fauore carere.

Post acreis suasus, tandem nil arbiter instans
 Assequitur, quàm ut contra Gallum cesset Iberus
 Annis bella decem ductare: & Gallus ab armis
 Rex in Iberum etiam desistat tempore tanto.

Non aliud conuentum: nec congressus uterque
 Inter se est: quamuis Galli, Hispaniq; uicissim
 Nunc aliis alii lautè conuiuia structa
 Præberent, unaq; essent sine lite frequentes.

Hoc pacto se quisque refert Terræ ue, Maris ue. Discessus à con-
 In Patriam. Paulus Romam: Induperator Iberos gressu.
 Conuectus ponto repetit: Rex Gallus auita
 Per regna in magis optatas contendere sedes
 Iamq; parat: uenit ecce celer cū nunciis illi,
 Induperatorem ad congressum appellere uelle.

I iiii Vt nil

Pontificis studium
 singulare in Rege, & Imperatore
 conciliandis.

Inducie ad decem
 annos inter Regem, & Imperatorem.

Imperator ambit colloquiū Regis.

*Vt nil non factum Gallus pro pace relinquat ,
Annuit : ac , ubi congregiantur , tendit alacris .*

Regis , & Imperatoris collo-
quium ad Urbem
fossis Marianis
propinquam .

*Post fossas Marianas , & post hostia bina
Præcipitis Rhodani , uastum quibus in mare fertur ,
Est urbs circumfusa undis , pelagoq; patenti
Exposita : Induperatoris quò classis ab alto
Appulit . Heu plausu quanto , quantisq; triumphis
Excipiunt nostri . Hic Gallo cum Rege moratus
Per binos soles , binum noctisq; recursum ,
Multa super pace appromittit , multaq; spondet ,
Quæ speramus adhuc , nec Rex accepit ab illo .*

*Sic sermone habito longo de pace futura ,
Concors discedit , concors se linquit uterque :
Concordes retinete diu pia numina Cœli ,
Et belli causas omneis auertite longè :
Pax maneat semper , maneat pax commoda rebus
Humanis : pax grata bonis , inuisa scelestis
Tantum : pax ueneranda Dei prolesq; , genusq; .*

Pacis autores
laudantur .

*Et uos , qui autores utraque in parte fuistis
Regibus accensis iraq; , odioq; uetusto ,
Vt pacem (abieclis armis) & fœdus amarent
Tranquillum , accipite hic præconia debita uobis .
Hispanos laudent Hispani : Gallica musa
Gallos laudabit procures , uersuq; canoro*

*Per Mare, per Terras, per Cœlorum efferet astra:
 Quorum ope, consiliisq; bonis pax reddita Gallo
 Est Regno, & pepulit Martem iam longiùs Indis.*

Præsul in his Lotharinge tenes me iudice primas, Cardinalis Lo
tharingus.
*Dictis tam placidis Regis qui pectora mulces,
 Et motum lenis, si quando exardeat ira.*

Aequa laude uiges, Regis Soror (alma uirago) Regina Nauarre.
*Quæ inœstum Fratrem releuas sermone uirili
 Rebus in aduersis: & suades omnia digna
 Principe magnanimo, forti, inuictisq; per hostem.*

Hic uestras etiam diuinas sumite laudes, Mommorencius.
*Qui selecto Concilio, Regniq; præestis
 Tractandis rebus. Tu maxima, Mommorenci,
 (Egregie cordatus homo) præconia sume:
 Cui data præcipue est Regni prouincia tota
 Propter & ingenium, propter mentemq; fidelem.*

Hic etiã es celebrãdus (honos, Poiete, perennis Guilielmus Po
ietus Gallie Can-
cellarius.
*Andegauæ patriæ) qui nunc tam legibus æquis
 Iustitiæ Gallæ proram, puppinq; gubernas.*

Non ego priuabo merita uos laude, Belai, Cardinalis
Belaius.
Et Turnoni: consiliis qui insigniter ambo, Cardinalis
Turnonius.
*Ambo prudentes mirè fulcitís in omni
 Casu res Gallas, & publica commoda cautè.*

Pax placida inter Gallos, Hispanosq; manebat,

K Cùm

Anno

1539.

Imperatoris uxor
diem suum obit.

Cūm subitō *V*xorem *I*nduperator (ut omnia cedit
*M*orti importunæ) amittit. *S*pem concipit illinc
*P*lebs *G*alla, ac *H*ispana, magis coalescere posse,
*E*t firmam prorsus, inconcussamq̃ futuram
*P*acem inter *R*egem *G*allorum, ac inter *I*berum
*I*nduperatorem, si *G*alli *R*egis ab alto
*S*anguine is *V*xorem ducat. *P*ortenditur olim
(*C*ontra) bellorum motus: si sanguinis *A*ngli
*V*xorem admittat. *V*ideat *D*eus ista, regatq̃
*P*ace ex communi, *G*allæ utilitateq̃ gentis.

LECTORI.

QVAE DEINDE A GALLIS GEREN-

TUR, HOC ORDINE, ET

VERSUS-GENERE

DESCRIPTA

A ME AC-

CIPI-

ES:

A DEVM VS-

QVE ANNUM, QVO

NATURAE PERSOLVAM, ET

VITAM CVM MORTE COMMVTABO.

AD REGEM GAL
LVM PETRITO,
LETI MEDICI
CARMEN.

*Hic tua herois numeris relata
Gesta nunc primum in literas Latinas
Rex libens crebrò uideas , legasq̄s
Rex tua gesta .*

*Et tuum tantum renitere nomen
Gaudeas tanto ingenio Doleti :
Cui pares nullos aluit Mineruæ
Gallia mater .*

*More Romano celebrat probata :
Seruit & legi Historiæ seueræ .
Quam improbè quondam uitiasse fertur
Græcia mendax .*

*Ergo tu Librum , simul & Poëtam
Gallicæ gentis decus , atque lumen
(Quo soles charissima) Rex sereno
Excipe uultu .*

IOANNIS RÆNERII

Carmen.

Tulit sacra Maro nouem Sororum,
 Quarum conspicuus fuit Sacerdos:
 Sed spreuit fora: tetricasq; lites.

Patronus Cicero fuit disertus,
 In cuius labiis resedit alma
 Pitho, cum aligero nepote Atlantis:
 Sed non est oculis ei Sorores
 Concessum placidis uidere Clius.

At facundia tam elegans Doletto,
 Tam solers simul, atq; copiosa:
 Sermonis quoque castitas Latini
 Tanta, ut Rhetoras antecellat omneis
 Ad unum ueteres, nouosq;. Et idem
 Sic Phorcynidos ebibit liquores
 Fontis (Piëridum fauente coetu)
 Ut priscisq;, nouisq; Apollinarem
 Laurum dempserit omnibus Poëtis.

Qua Cyrrhæ Dominus uirente Pæan
 Entheum caput illius reuinxit,
 Consensu unanimi sacræ Cateruæ,
 Quæ montes colit Aones, & undas

*Puras Phocidís, & specius amœnos
Libetbri, Claríi nemusq; Vatis.*

*Donauit simul & lyra canora:
Dixitq; , haud alius, Dolete, nostris
His est dignus honoribus Poëta.*

*Omnes huic igitur fauete Galli,
Ad uos qui decus omne litterarum
Vnus transtulit, unus & tuetur.*

GV LIELMI DV RAN,
DI. AD ANTIQVOS POETAS
GRÆCOS, ET LATI-
NOS.

*Huc este, o Graii Vates: huc este Latini.
Hic uestra dignum laude legetis Opus.*

**BARTHOLOMEI
ANVLI BITVRIGIS.**

*Musas, quæ canerent gestarum encomia rerum
Vera, Themistocli perplacuisse ferunt.
Sed stupidus non est mage Græco Principe Gallus:
Et nec ab affectu Rex alienus erit.
Sic (ubi cognorit tua carmina) spero, Dolete,
Augustum tibi, te illi fore Vergilium.*

ANTONII MOLINII
MATISCONENSIS
C A R M E N.

*Nec ipse quidem Mundus Dei potentia
Se sciret esse creatum, id nisi Literæ traderent
(Vis magna Litterarum, & uoracis domitrix
Mortis) nec ullus nosceret Populus, quid sui
Aliquando Maiores fecissent strenuè.*

*Quare, si id tibi præstet Doletus Litteris,
Illi (uelut æquum est) gratiã habe meritam, Gallia.*

IACOBI BERTRANI
DI CASIACENSIS
C A R M E N.

*Desine Roma tuum Nasonè, Græcia Homerum,
Mantua Vergilium efferre: Doletus adest.
Ille est Gallorum summum decus: ille Poëta
Gallorum. Hunc nobis docta Minerua dedit.
Hoc mireris Opus: sunt magna hæc Fata Doleti:
Gallis uera: licet Græcia falsa suis.*





DOLETVS.

Durior est spectatæ uirtutis,
quàm incognitæ,
conditio.